F. H. B. VON HOFF,

DE

MYTHO HELENAE EURIPIDEAE.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS

DE

MYTHO HELENAE EURIPIDEAE.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS

DE

MYTHO HELENAE EURIPIDEAE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IOANNIS MATTHIAE SCHRANT,

PHILOS. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN DISCIPLINA PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

FERDINANDUS HUGO BENIAMINUS VON HOFF,

HARDEROVICENSIS,

DIE VI M. MARTII MDCCCXLIII, HORA XII—I.



LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.
MDCCCXLIII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS

ET

PRAECEPTORIBUS AESTUMATISSIMIS

IN GRATI ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D.

Auctor.

Doch sagt man, Du erschienst ein doppelhaft Gebild
In Ilios gesehn, und in Aegypten auch.

Göthe.

INTRODUCTIO.

Antiquis Graecorum mythis tantae sunt offusae tenebrae, ut, si quis vellet veritatem indagare historicam, omnem, puto, perderet operam sudaretque frustra. In alias igitur partes abierunt nonnulli mythorum interpretes, symbolicâ, quae dicitur, interpretatione tenebras depellere conantes: hi tamen saepe, ingenio indulgentes potius, quam veritatem explorantes, quaevis mira commentati sunt: qualis est Uscholdius, cuius de Helena (1) exstat dissertatio, miraculorum plena. Huius Uscholdianae sapientiae, quam dicit Hermannus (2),

(1) »*Bedeutung der Helena und ihrer Wanderungen*" in Zimmerm. Diar. 1835. N°. 105—107.

(2) In praef. ad Eurip. *Helen*. p. X.

neque equidem sum admirator, neque omnino mihi arridet eiusmodi mythorum interpretatio. Quod ita tamen accipi nolim, quasi omne hoc studium contemnam, aut iusto honore non persequar Creuzeri industriam, viri omnium facile principis, in primisque mihi venerandi, qui eo libro, qui inscribitur »Symbolik und Mythologie der alt. Völker," viam fere stravit caeteris: — sed quum ipse in hac ratione mythos interpretandi non emergam dubiis, neque lucem, sed maiores etiam tenebras oriri videam, eam de hoc studio foveo sententiam, quam de rerum Mythologicarum indagatione universa prodidit Geelius (1): »Habent sane vestrae commentationes hunc fructum, ut si id ipsum, quod quaeritis, interdum minus inveniatis, tamen per anfractuosi itineris ambages saepe incidatis in res incognitas, quas numquam in lucem proferre potuissent, qui a trita via non deflectunt."

Eam igitur potiorem existimo mythorum interpretationem, qua veritatem etsi indagare nequeas, quam proxime tamen ad mythi originem adscendas, ut ex antiquissimis fontibus repetatur mythus atque exploretur, quo modo adornatus fuerit deinde et variatus: haec enim ratio unis nititur certis veterum scriptorum

(1) In epistola ad Welckerum: *de Stesiohori Palinodia*, in Museo Rhen. 1838. p. 4.

testimoniis. Est autem haec fontium indagatio eo difficilior, quo pauciores superstites habemus scriptores, qui mythos memoriae prodiderunt. Desideramus enim non tantum ipsos saepe poëtas, qui pro re sua variabant exornabantque traditiones a superioribus acceptas, sed eos etiam, qui de industria illustrabant mythos: quales sunt *Τρωικῶν* auctores (1), et, qui tragicorum mythos explicuerunt, Asclepiades VI libris *τραγῳδουμένων*, Hieronymus Rhodius librorum *de poëtis* ea parte, qua de tragicis egerat (2): commentariorum praeterea in tragicos auctores, quorum nunc nonnisi compendia habemus perexilia (3). — Quae fontium penuria in eum in primis cadit mythum, quo Euripides in Helena usus est. Duae enim quum fuerint traditiones, quarum altera, Troiam venisse Helenam, perhibebat, altera in alia omnia discedebat; illam inde ab Homero omnes fere adhibuerunt, hanc perpauci celebrarunt ante Euripidem. — Operae igitur pretium duxi explorare, quid Euripides paucis illis debuerit, quid ex suo addiderit ingenio; qua in re eam mihi constitui normam, ut

(1) Quos memorat Westrik, diss. *de Aeschyli Choëphoris deque Electra cum Sophoclis tum Euripidis* L. B. 1826. p. 24.

(2) V. Valck. *Diatr.* p. 263 et Welcker, *Die Griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyclus geordnet.* p. 13 et 93 sqq.

(3) Quos recenset Elink Sterk, *de Labdacidarum historia a tragicis in scena proposita* p. 11 sqq. et Henrichsen, *de Carminibus Cypriis* p. 88.

quam altissime mythum repetens, tempore duce, ad Euripidem descendam. Itaque *primo capite* agam de Homero, quem huius famae gnarum fuisse dixerit Herodotus; *secundo* de Stesichoro; *tertio* de Herodoto; *quarto* denique de Tragicis, de ipsoque Euripide videbimus.

Caeterum, benevole has qualescunque studiorum meorum primitias accipi velim: scripsi enim, non ut alios docerem, sed ut ipse discerem.

CAPUT PRIMUM.

DE HOMERO.

Etsi ante Homerum fuisse dicuntur, qui de rebus Troicis cecinerint (1), antiquissimus tamen, cuius ad nos pervenerunt carmina, Homerus: qui patris poëseos nomine iure ornatus, idem quasi pater poterit appellari alterius de Helena famae. Hanc enim ab Homero acceptam poëtarum longe plurimi non mutatam fere propagaverunt. Quam famam in vulgus notam hic nolo repetere: hoc tantum observatum velim, Homerum, etsi Helenam non invitam a Paride raptam Troiam venisse dixerit, nullis tamen conviciis eam onerare, imo multa in eius laudem proferre ad eamque excusandam: cuius modi sunt ea, quae legimus in *Iliad.* III. vs. 139—173, 404, 428, VI. 345: ita ut ipsos Troianos fecerit exclamantes:

Οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν (2).

---

(1) Quos recenset Staverenus in praef. ad *Hygin.*

(2) Hos versus Helenae suae etsi subscripserat Zeuxis (narrante Aeliano *Var. Hist.* IV), eius tamen Helena per iocum appellabatur meretrix, propterea quod a spectaturis picturam mercedem exigebat Zeuxis.

§ 1. Vulgarem autem illam de Helena famam licet amplexus sit Homerus, non ignarus tamen fuit alterius, nimirum Helenam a Paride raptam non Troiam vènisse, sed in Aegyptum: si credas scilicet Herodoto, qui libro II. c. 116. haec habet: *δοκέει δέ μοι καὶ Ὅμηρος τὸν λόγον τοῦτον πυθέσθαι, ἀλλ᾽ οὐ γὰρ ὁμοίως ἐς τὴν ἐποποιΐην εὐπρεπὴς ἦν τῷ ἑτέρῳ τῷπερ ἐχρήσατο· ἐς ὃ μετῆκε αὐτὸν, δηλώσας ὡς καὶ τοῦτον ἐπίσταιτο τὸν λόγον. δῆλον δέ· κατὰ γὰρ ἐποίησε ἐν Ἰλιάδι — πλάνην τὴν Ἀλεξάνδρου, ὡς ἀπηνείχθη ἄγων Ἑλένην, τῇ τε δὴ ἄλλῃ πλαζόμενος, καὶ ὡς ἐς Σιδῶνα τῆς Φοινίκης ἀπίκετο. — λέγει δὲ τὰ ἔπεα οὕτω*, (VI. vs. 289 sqq.)

Ἔνθ᾽ ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων, τὰς αὐτὸς Ἀλέξανδρος θεοειδὴς
ἤγαγε Σιδονίηθεν, ἐπιπλὼς εὐρέα πόντον,
τὴν ὁδὸν, ἣν Ἑλένην περ ἀνήγαγεν εὐπατέρειαν.

Ex his tamen Iliadis versibus nullo modo conficere licet id quod confecit ex iis Herodotus, notum fuisse Homero Paridis iter in Aegyptum (*ὅτι ἠπίστατο τὴν ἐς Αἴγυπτον Ἀλεξάνδρου πλάνην*); quod nobis persuadere studet eius modi mira argumentatione in fine h. cap.: Paris secundum Homerum venit Sidonem: Sidon urbs Phoeniciae: Phoenicia pars Syriae: Syria autem affinis Aegypto: ergo Paridem in Aegyptum venisse, non latuit Homerum.

Quid quod ne id quidem ex hoc Iliadis loco sequi putat vir ingeniosus Welckerus (in Zimmerm. Diar. 1834. 3.), *cum Helena* Sidonem venisse Paridem (*ὡς ἀπηνείχθη ἄγων Ἑλένην, τῇ τε δὴ ἄλλῃ πλαζόμενος, καὶ ὡς ἐς Σιδῶνα — ἀπίκετο*)? Non enim apparere ex Homeri verbis, Sidonem appulisse Paridem mulieres-

que istas inde abstulisse eo tempore, quo cum Helena rapta Troiam rediret: sed tantummodo, eo itinere quo Helenam Sparta abduxerit (*τὴν ὁδὸν, ἣν Ἑλένην περ ἀνήγαγεν*) rapuisse mulieres istas Sidonias; quod idem possit referri ad iter, quo Spartam profectus sit Paris ad rapiendam Helenam. — Quin etiam totam hanc de Sidoniarum mulierum rapina historiam Welckerus commentum esse existimat rhapsodorum, qui Paridem omnium mulierum amatorem fingere studerent, omnibusque periculosum: ab his igitur hunc locum esse depravatum, et sic corrigendum, ut versu secundo legamus pro *τάς*, *τοὺς* (i. e. *πέπλους*) *αὐτὸς Ἀ. θ. ἤγαγε Σιδονίηθεν*: quas vestes, quum Spartam navigaret, Sidone secum abstulerit Paris, dona Helenae: cuius modi quid fuerit in Cypriis etiam (ap. Proclum) *καὶ Ἑλένῃ παρὰ τὴν εὐωχίαν δίδωσι δῶρα ὁ Ἀλέξανδρος.*

Speciosa sane coniectura, quae primo quidem obtutu arridebat, de cuius deinde tamen veritate persuadere mihi non potui. Quod enim dicit Welckerus nonnihil incommodi habere, Paridem mulieres Sidone secum abduxisse Troiam, quae vestes illic sibi fabricarentur (1): id mihi quidem non adeo videtur alienum ab illorum temporum more ac consuetudine. Antiquissima enim aetate omnes fere, qui navigarent, simul erant mercatores et piratae: exempla ad manum sunt initio Herodoti historiarum: in ipso quoque Homero (*Od.* XV. 415 sqq.) Phoenissa mulier, *ἀγλαὰ ἔργ' εἰδυῖα*, a Taphiis rapta ad Eumaei patrem asportatur, deinde iterum a Phoenicibus mercatoribus una cum Eumaeo puero rapitur: conferas hos in primis versus (425 sqq.)

(1) »Als Fabrikantinnen — hat etwas Ungeschicktes.“

Ἐκ μὲν Σιδῶνος πολυχάλκου εὔχομαι εἶναι·
κούρη δ' εἴμ' Ἀρύβαντος ἐγὼ ῥυδὸν ἀφνειοῖο·
ἀλλά μ' ἀνήρπαξαν Τάφιοι, ληΐστορες ἄνδρες,
ἀγρόθεν ἐρχομένην· πέρασαν δέ με δεῦρ' ἀγαγόντες
τοῦδ' ἀνδρὸς πρὸς δῶμαθ'. ὁ δ' ἄξιον ὦνον ἔδωκεν.

Hic illius aetatis erat mos. — Praeterea multo magis miror, quo modo vestes istae, quas Sidone abstulisse Paridem coniicit Welckerus donoque dedisse Helenae, relatae sint inter Hecubae *κειμήλια*. Quod etsi non premam, ultimus tamen quatuor illorum versuum videtur postulare, Paridem eo itinere, quo Troiam *rediret*, Sidonem venisse, *τὴν ὁδὸν ἣν Ἑλένην περ ἀνήγαγεν* —; alterum enim illud significare si voluisset Homerus, Paridem, quum Spartam proficisceretur, Sidonem venisse, haud scio an usurus fuisset verbo *μετελθεῖν* similive i. e. quo itinere *ad Helenam petendam* proficiscebatur. — Neque etiam negligendum censeo, a nemine hanc famam, quam excogitavit Welckerus, esse memoratam. Nusquam enim, quantum scio, quidquam memoriae proditum exstat de Paride Sidonem proficiscente, antequam veniret Spartam. — Alterius contra famae, Sparta redeuntem Sidonem profectum esse, multi meminerunt, Homerum imitantes.

In Cypriis enim carminibus etsi, auctore Herodoto (II. 117), haec fuerint: *τριταῖος ἐκ Σπάρτης Ἀλέξανδρος ἀπίκετο ἐς τὸ Ἴλιον ἄγων τὴν Ἑλένην, εὐαεΐ τε πνεύματι χρησάμενος καὶ θαλάσσῃ λείῃ*, — ex iisdem tamen contrariam famam refert Proclus in Chrestomathia: *χειμῶνα δὲ αὐτοῖς* (Paridi et Helenae) *ἐφίησιν* (ex emend. Welck. ll. pro *ἐφίστησιν*) *Ἥρα· καὶ προςενεχθεὶς Σιδῶνι ὁ Ἀλέξανδρος αἱρεῖ τὴν πόλιν καὶ ἀποπλεύσας εἰς Ἴλιον γάμους τῆς Ἑλένης ἐπετέλεσεν.* —

De utroque loco variae sunt virorum doctorum coniecturae: Heynius Herodoti locum spurium censet; Fuchs. *de variet. fabb. Troicar.* p. 30 (1), diversis usos fuisse Herodotum et Proclum carminum Cypriorum editionibus; Welckerus denique, ab rhapsodis ortam esse carminum interpolationem, quam secutus sit Proclus: a cuius sententia ipse non decedens, ab iis tamen ortam esse existimo interpolationem, qui Cypriorum narrationem congruentem reddere conarentur cum loco illo Iliadis (2). Quod si verum est, hunc Iliadis locum necesse est ita interpretati sint illi, ut interpretatus est Herodotus, Spartâ nimirum revertentem Sidonem vectum esse Paridem.

Itaque si ipsi veteres, hoc Homeri loco nitentes, hanc propagarunt famam, alterius vero, quam posuit Welckerus, ne verbo quidem meminerunt, nobis quoque sic erunt accipienda Homeri verba, nullis certe si gravioribus impedimur difficultatibus.

Sic etiam Homerum intellexit eius interpres Eustathius, addens praeterea, quo consilio non recta via domum tetenderit Paris, scilicet *ἵνα μὴ ἐπιδιωχθεὶς καταληφθῇ, δι' Αἰγύπτου καὶ Φοινίκης καὶ Φάρου καὶ Ἰσσικοῦ πελάγους* circumvagatus est — *καὶ οὕτως ἐκ τῆς κατὰ Φοινίκην Σιδῶνος τὰς γυναῖκας εἴληφε, τυχὸν μὲν ὠνησάμενος, ἴσως δὲ καὶ ληϊσάμενος.* At haec quidem Eustathius more suo: illud autem *δι' Αἰγύπτου* ex ipso hausisse videtur Herodoto, quem ante oculos habuisse apparet ex iis, quae addit, ipsis fere verbis Herodoti:—

(1) Quem tamen librum inspicere mihi nondum licuit.

(2) Quam fere Wullneri esse sententiam in comment. *de cyclo epico poëtisque cyclicis*, nunc cognovi ex Henrichsenii comment. *de carminibus Cypriis* p. 51.

ὅτι ὁ μὲν ποιητής φησιν, ὡς ἐπλάζετο Ἀλέξανδρος, ἄγων τὴν Ἑλένην, ὁ δὲ τὰ Κύπρια ποιήσας λέγει, ὡς τριταῖος — λείᾳ.

Cypriorum a Proclo servatam narrationem, quam ex Iliadis loco haustam esse coniecimus, arripuit etiam Dictys ille, quisquis fuit, Cretensis, qui Cyclicos maxime poëtas, saepe etiam Homerum secutus est, ita tamen, ut non nimis ad antiquiorum historias se adstringeret, antiquitatis colorem obducturus scilicet: vid. Dederich. in praef. ad *Dict.* p. XVIII. Adornavit, inquam, Dictys quae debuit Cypriis de Sidonis expugnatione, sic enarrans: »Eum (Alexandrum) namque properatione navigii inconsulte usum, venti *Aegyptum* (1) appulere. Unde — Phoenicem delapsus, Sidoniorum regem — noctu insidiis necat, — — omnia — indeque rapta ad naves deferri iubet, — Troiani incensis duabus navibus — evadunt." cet. Dictys igitur etiam finxisse videtur, Alexandrum in Aegyptum venisse cum Helena (si vera est Dederichii coniectura); qua in re fortasse Cypria praeiverant, fortasse, quod verisimilius est, ipsi; quemadmodum Eustathio, ante oculos obversabatur ille Herodoti locus.

Verum tamen, ut redeam ad Homerum, a quo iam iusto longius aberravi, hoc certe nullo modo apparet ex primo quem attulit Herodotus loco, Homerum quidquam habuisse cognitum de Paridis in Aegyptum itinere.

---

(1) Ex emend. Dederichii pro *ad Cyprum;* cuius haec est adnotatio: »Qui sic tradiderit, ignoro alium. Ipsi Dictyis sectatores — aliter referunt, Priamum" [l. Paridem] »primum Sidonem, tum Aegyptum et inde Troiam venisse scribentes."

§ 2. Quid autem dicemus de alteris duobus Homeri locis, ab Herodoto in testimonium vocatis?

En ipsa verba Herodoti: ἐπιμέμνηται δὲ καὶ ἐν Ὀδυσσείῃ (IV. 227.) ἐν τοῖσιδε τοῖς ἔπεσι,

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα,
ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη· τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

καὶ τάδε ἕτερα πρὸς Τηλέμαχον Μενέλεως λέγει (Od. IV. 451.)

Αἰγύπτῳ μ' ἔτι δεῦρο θεοὶ μεμαῶτα νέεσθαι
ἔσχον, ἐπεὶ οὔ σφιν ἔρεξα τεληέσσας ἑκατόμβας.

Ut paucis absolvam: vix crediderim haec ab Herodoto esse profecta. — Ex priori enim loco quum conficere potuisset Herodotus, Homerum in Aegypto versantem fecisse Helenam, ex altero autem Menelaum: nihil tamen inde conficit, sed in uno versatur loco Iliadis, ex quo probet, *Alexandri* in Aegyptum iter Homerum non latuisse; ad hunc unum semper respicit; unde sic pergit: ἐν τουτοῖσι τοῖσι ἔπεσι δηλοῖ, ὅτι ἠπίστατο τὴν ἐς Αἴγυπτον Ἀλεξάνδρου πλάνην, quae verba manifesto ad illum solum pertinent locum, quemadmodum etiam ea, quae sequuntur initio cap. sq. (117): κατὰ ταῦτα δὲ τὰ ἔπεα καὶ τόδε τὸ χωρίον κ. τ. λ.

Commentatorem igitur, sive potius librarium redolere mihi videntur haec verba ἐπιμέμνηται δὲ καὶ ἐν Ὀδ. — ἑκατόμβας, qui quum in margine haec adscripsisset, visus sibi insigne fulcrum addere Herodoti coniecturae, si indicaret Menelaum et Helenam in Aegypto ver-

satos fecisse Homerum; — deinde in textum irrepserunt (1).

Addere potuisset librarius iste, quo probaret Menelai in Aegyptum adventum, alium etiam locum Homericum *Odysseae* l. III. vs. 300. — Addere potuisset hos etiam versus (*Odyss.* IV. 461 sqq.)

Σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι, Διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε
Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν·
ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς,
— — — — — — — — — — —
οὕνεκ' ἔχεις Ἑλένην, καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι.

assensum nisi negaverit scilicet Apionis horum versuum explicationi, quam nobis servavit Eustathius ad h. l., qui verbis Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης significari putat locum Aegypti sic appellatum circa Canobum, ubi sit etiam νόμος Μενελαΐτης, ὡς τῆς τοιαύτης γῆς ὑπὸ Μενελάῳ γενομένης: legere nimirum iste videtur Ἰλύσιον πεδίον· παρὰ τὴν τοῦ Νείλου ἰλὺν, ἣν πολλὴν καταφέρων ἐκεῖνος προςέχωσε τὴν κάτω χώραν κατὰ Ἡρόδοτον (II. 11—15.) — At nugatur Apion aut ineptit. — Est enim luce clarius, quid sibi voluerit Homerus, nempe: non moriturum Argis Menelaum, sed immortalem fore Deum propterea quod Helenam Jovis filiam habeat uxorem (2). — Erant sane Grammatici hominum genus satis ineptum saepe,

---

(1) Schaeferum quoque hunc Herodoti locum ut suspectum uncis inclusisse, cognovi ex Gaisfordiana Herodoti editione; nescio, an suspicionis addiderit rationem.

(2) Hinc, Helenam Deam fuisse, eandem scilicet ac Σελήνην, sibi persuadet Uscholdius II. p. 846.

qui eiusmodi congererent locos Homericos ad confirmandam Herodoti coniecturam: quod fecit etiam Scholiasta ad *Aristidem* (p. 56. ed. Frommel), monente Welckero in *Jahnii Ann.* 1829. p. 279, Herodoti coniecturae alteram addens, εἰδώλου Helenae famam Homero fuisse cognitam, quod appareat ex *Iliad.* I. 449., ubi de Aeneae εἰδώλῳ Homerus:

ἀμφὶ δ' ἄρ' εἰδώλῳ Τρῶες καὶ δῖοι Ἀχαιοὶ
δῄουν —

Verum istorum omittamus ineptias. Mihi certe neque Herodotus persuadet neque ceteri, probari posse, Homerum non ignarum fuisse alterius illius de Helena famae, quam cognomini fabula secutus est Euripides: quamquam non negaverim, fieri potuisse, ut Homerus eius modi famam iam cognoverit, licet mentionem eius fecerit nullam. Nam vel sic tamen mirum non fuerit, eam, quam Homerus tradiderit, communem factam fuisse, alteram vero in oblivionem fere abiisse: Homerica enim carmina in omnium erant ore, Homerum sibi quisque certatim imitandum proponebat, dignum sane exemplar; ab huius non facile audebant deflectere traditionibus, nefasque propemodum habebant.

§ 3. Hinc in Cyclicis, qui dicuntur, poëtis, qui proxime secuti sunt Homerum, nulli, puto, fuerunt, qui ab hoc mytho decesserint; quod plenius cognosceremus, si ipsos, vel saltem Procli (1) Χρηστομαθίας

(1) De Proclo Grammatico seculi secundi disputavit Welckerus eo libro, cui titulus »*Der epische Cyclus od. dic Homerischen Dichter*" (Rhein. Museum. f. Phil. I. Supplementb.)

γραμματικῆς libros haberemus superstites, quorum nunc nonnisi Excerpta Photii supersunt in *Bibl.* Cod. 239 perexilia, et uberiora quaedam de rebus Troicis, ab Grammatico quodam codici suo adscripta, quae primum prodierunt in *Götting. Bibliothek der alten Litteratur und Kunst*, anno 1786, Heynii notis illustrata.

Quantum igitur ex hoc Procli compendio licet conficere, nihil hac in re novarunt Cyclici; in *Cypriis* enim secundum Proclum haec fere fuerunt: »Paris Spartam profectus, hospitio excipitur ab Menelao, Helenaeque dat dona hospitalia. Menelaus Cretam proficiscitur: ἐν τούτῳ δὲ Ἀφροδίτη συνάγει τὴν Ἑλένην τῷ Ἀλεξάνδρῳ καὶ μετὰ τὴν μίξιν τὰ πλεῖστα κτήματα ἐνθέμενοι νυκτὸς ἀποπλέουσι. Χειμῶνα δὲ κ. τ. λ. (1). — Arctini porro Αἰθιοπὶς ad ipsum pertinet bellum Troianum, ad pugnam scilicet Amazonis Penthesileae cum Achille, ad huiusque fata, quem mortuum εἰς Λευκὴν νῆσον διακομίζει Thetis.” — Neque quidquam variatur in Ἰλιάδι μικρᾷ Leschis Mitylenaei, qua continetur ὅπλων κρίσις Ulyssem inter et Aiacem; Paridis mors, quem καταικισθέντα ὑπὸ Μενελάου Troiani sepeliunt; et quod huc pertinet, Δηΐφοβος Ἑλένην γαμεῖ. — Ex Arctini quoque Ἰλίου πέρσιδι vulgarem refert famam Proclus: »Troia enim expugnata, Menelaus ἀνευρὼν Ἑλένην ἐπὶ τὰς ναῦς κατάγει, Δηΐφοβον φονεύσας.” — Postremo in Νόστοις »Menelaus μετὰ πέντε νεῶν εἰς Αἴγυπτον παραγίνεται, τῶν λοιπῶν διαφθαρεισῶν νεῶν ἐν τῷ πελάγει:” quae itidem cum Homerica fere conveniunt narratione.

Itaque neque ab Homero, neque ab Cyclicis quid-

---

(1) V. supra p. 8.

quam memoriae proditum est de altera illa traditione, quam in Helena secutus est Euripides. Neque sane quisquam huius mythi meminisse videtur ante Stesichorum, sive hic invenerit narrationem, sive obscure iam cognitam in lucem protraxerit. Nam si quis iam ante eum id fecisset, non Stesichorum, ut antiquissimum huius famae fontem, commemoravissent Plato ceterique omnes; quod monet Heinischius in *Prolegom. ad Eur. Helenam* (cit. a Welckero in *Jahn. Ann.* II. p. 279).

CAPUT SECUNDUM.

DE STESICHORO.

Dicitur Stesichorus, *vituperium* quum antea *Helenae* scripsisset, occoecatusque esset propterea, celeberrimam illam cecinisse *Palinodiam*, qua placaret Helenam iratam, omnique liberaret vituperio: qua facta, statim recuperasse visum. Huius autem Palinodiae, qua nititur tota fabula Euripidea, ut melius explorare possimus argumentum et cognoscere, tota haec causa Stesichorea altius erit repetenda indagandaque accuratius. — Qua in re si nihil certum effecero omnisque expers dubitationis, facile ignoscent, perspectas qui habent difficultates, quantis impediatur haec quaestio, quique sciunt, ne doctissimos quidem viros quidquam nisi coniecturas potuisse proferre. Nam qui post Kleinium (1) omnium prolixissime de Stesichoro egit

(1) *Stesichori Himerensis fragmenta.* Collegit, dissertationem de vita et poësi auctoris praemisit O. F. Kleine. Berol. 1828.

Welckerus (1), ingeniosas ille quidem profert coniecturas: cuius tamen inventa, vereri se, ne pleraque dubitationem habeant, monuit ostenditque Geelius (2), et nobis deinde ea de re disputandi locus dabitur. Horum igitur coniecturis si nimis tribuens erravero, cum doctis erravisse iuvabit; sin, meam ipsius opinionem coniecturamve proponens, verum minus tetigisse videbor, consolabor me hoc Platonico: *ἀλλὰ καὶ ἐπιχειρεῖν τοῖς καλοῖς καλὸν, καὶ πάσχειν ὅ τι ἂν ξυμβῇ.*

§ 1. Prima igitur quaestio nobis erit de ipsa illa Stesichori *Ἑλένης κακηγορίᾳ*, de qua aliae aliorum exstant sententiae. Alii enim statuunt, peculiare scripsisse Stesichorum carmen, quo conviciis oneraverit Helenam; alii, unum atque continuum carmen fuisse *ἔπαινον* et *ψόγον Ἑλένης* (3), quae Blomfieldii fere erat sententia »Palinodiam eiusdem carminis ac vituperium partem fuisse: et nescio an utrumque ad *Ἰλίου πέρσιν* pertineat." (v. Klein. ll. p. 22) Hi vero nimis tribuere videntur Isocratis verbis in *Helenae encomio* p. 218. D. Cant: *Ἐπεδείξατο δὲ καὶ Στησιχόρῳ τῷ ποιητῇ τὴν αὑτῆς δύναμιν· ὅτε μὲν γὰρ ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς ἐβλασφήμησέ τι περὶ αὐτῆς, ἀνέστη τῶν ὀφθαλμῶν ἀπεστερημένος· ἐπειδὴ δὲ, γνοὺς τὴν αἰτίαν τῆς συμφορᾶς, τὴν παλινῳδίαν ἐποίησε, πάλιν αὐτὸν ἐς τὴν αὐτὴν φύσιν*

---

(1) In censura libri Kleiniani, in *Jahnii Annal.* 1829. p. 131—168. et p. 251—308.

(2) In Epistola ad Welckerum de *Stesichori Palinodia*, in Museo Rhen. 1838.

(3) Quam nuper thesem ad publicam disceptationem in Academia nostra proposuit V. D. Bakhuizen van den Brink in fine *Variarum lectionum ex historia philosophiae antiquae*, a quo plura de Stesichoro propediem exspectamus.

κατέστησεν: in his enim quam difficilem interpretationem habeant haec ipsa, quibus illi nituntur, *ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς* et *ἀνέστη τ. ὀ. ἀπεστερημένος*, omnes senserunt viri docti; ac vereor, ne recte suspicatus sit Geelius (p. 12.), totum hunc locum esse interpolatum, desumtum scilicet atque exornatum ex loco simillimo Platonis in *Phaedro* p. 243. a., quem mox apponam. — Praeterea, quod monet Kleinius, non facile narrare potuissent Himerenses et Crotoniatae id quod narrabant (v. infra), si uno eodemque carmine et vituperium et laudationem Helenae scripsisset Stesichorus.

Illorum quoque sententiae, qui peculiari carmine vituperium Helenae conscriptum putant, obstat, quod nusquam peculiaris propriusve occurrit titulus: modo enim *κακηγορία*, modo *κατηγορία*, modo *ψόγος* appellatur, »quae voces pro carminis potius summa erunt habendae," ut recte iudicat Kleinius (p. 23.). Quod autem ex Dionis Chrysostomi loco, quem mox apponam, confecit idem v. d.: »nulla Stesichorum protulisse adversus Helenam, quae non antea composuerit Homerus, — ergo certissime nec singulare carmen in eam fecisse;" vereor, ne nimis Dioni tribuerit, qui in oratione XI[a], quae est *ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι*, Homeri narrationi omnem detrahere veritatem, mendaciique ipsum convincere cupiens, falsam esse Homericam narrationem inde apparere dicit, quod, qui eadem omnia atque Homerus cecinerit, Stesichorus propterea fuerit occoecatus, *ὡς ψευσάμενος*. Verba Dionis haec sunt: (*oratt.* p. 162. A. ed. Mor., fragm. 19. ap. Klein.) *Οὕτω δέ, ἔφη* (sacerdos Aegyptius), *γελοίως διάκεισθε ὑμεῖς, ὥστε ποιητὴν ἕτερον, Ὁμήρῳ πεισθέντα καὶ ταὐτὰ πάντα ποιήσαντα περὶ Ἑλένης,*

Στησίχορον ὡς οἶμαι, τυφλωθῆναί φατε ὑπὸ τῆς Ἑλένης ὡς ψευσάμενον, αὖθις δὲ ἀναβλέψαι τἀναντία ποιήσαντα· καὶ ταῦτα λέγοντες, οὐδὲν ἧττον ἀληθῆ φατε εἶναι τὴν Ὁμήρου ποίησιν. Mihi Stesichorum ne legisse quidem videtur Dio, sed duxisse hanc Homeri cum Stesichoro comparationem ex pervulgari loco Platonis in *Phaedro* p. 243. a., cuius hoc initium: *Ἔστι δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος, ὃν Ὅμηρος μὲν οὐκ ᾔσθετο, Στησίχορος δέ. Τῶν γὰρ ὀμμάτων στερηθεὶς διὰ τὴν Ἑλένης κακηγορίαν, οὐκ ἠγνόησεν ὥσπερ Ὅμηρος κ. τ. λ.* — Vocabula praeterea *ταὐτὰ πάντα* ambigue dicta Dioni: quorum vel haec sententia est, »nihil eum protulisse adversus Helenam, quod non antea composuerit Homerus," quemadmodum accepit Kleinius, vel credendum est, eadem omnia eum narrasse de Helena, quae Homerum. Utraque sententia a veritate aliena: quod mox ex ipsis apparebit fragmentis. Itaque non curo haec Dionis, vel potius sacerdotis istius Aegyptii verba, facileque huic errorem condonandum censeo, qui ipsum nomen Stesichori vix tenuisse videatur, *ποιητὴν ἕτερον*, dicens, *Στησίχορον, ὡς οἶμαι.*

Nihilominus simillimam veri maximeque probabilem Kleinii (ll.) et Welckeri (p. 265.) habeo sententiam, Helenam obiter potius in quodam carmine reprehensam esse. Quum enim ex nonnullis Stesichori fragmentis appareat, ipsum non eadem omnia de Helena cecinisse, quae Homerum, imo plura, quam illum, in eius vituperium protulisse; non dissimile veri erit, haec ipsa fragmenta *vituperii* continere partem: vituperatam igitur esse Helenam in eo ipso carmine, cuius haec sint fragmenta. Ad quodnam autem carmen pertinuerint,

in ambiguo est: ad *Iliupersin* quidem eorum plurima referunt Kleinius et Welckerus, existimantes, in hoc carmine vituperatam esse Helenam: »neque enim illic, inquit Kleinius (p. 23.), de Helenae fatis sermo esse non potuit;" sed, nonne in alio quoque carmine de Helena potuit esse sermo? nonne igitur eo quoque referri poterunt fragmenta, quae Helenae vituperium videntur continere? — Singula age, quae quidem ad nostram causam faciunt, fragmenta exploremus, quo pertinuisse videantur: simul ex iis apparebit, nonnunquam ab Homericis traditionibus deflexisse Stesichorum, neque eadem omnia de Helena cecinisse.

1. Huc pertinet, quod Schol. Venet. ad Hom. *Iliad.* II. 339. de Helenae procorum iureiurando nobis servavit fragmentum (20 ap. Klein.): »Principes Graeciae, quum Helenam peterent uxorem, Tyndareus pater, timens, ne, unum eligens, reliquos sibi redderet inimicos, obstrinxit iureiurando, *ἦ μὴν τῷ ληψομένῳ τὴν παῖδα ἀδικουμένῳ περὶ αὐτὴν σφόδρα πάντες ἐπαμύνειν.* Menelao igitur uxor data Helena quum ab Alexandro rapta esset, *ἐκοινώνησαν τῇ στρατείᾳ διὰ τοὺς γενομένους ὅρκους. Ἱστορεῖ Στησίχορος.*" *In Ilii excidio* haec habuisse poëtam, recte contendit Kleinius, refellens Blomfieldium et Heynium (ad *Apollod.* III. 10. 8. et 9.), qui ad *Helenam* i. e. Palinodiam retulerint. Neque persuadet Heynius l. l., iam Homerum huius iurisiurandi mentionem fecisse eo Iliadis loco, ad quem haec adnotavit Scholiasta: aliud nimirum Homerus intellexisse videtur iusiurandum, quo in Aulide se invicem obstrinxerunt Graeci (1).

(1) Sic etiam intellexit Welckerus, *Gr. Tr.* p. 111, illam Stesichori *ἐνωμοτίαν* appellans »eine nachhomerische Dichtung." — Stesi-

Diversa igitur ab Homericis haec protulit Stesichorus: nullum vero quum insit vituperium Helenae, ex hoc quidem fragmento non apparet, in Ἰλίου πέρσιδι reprehensam fuisse Helenam.

2. Ad *Ilii exidium* recte quoque refertur fragmentum (21. Kl. ex Pausan. II. 22. 7.), quo continetur Stesichori narratio de Thesei rapina: »Helenam sc. abs Theseo raptam, peperisse ex eo Iphigeniam, postea nupsisse Menelao:" quae narratio magis etiam in Ἰλίου πέρσιδι prodita fuisse videtur, si constat, quod ex tabula Iliaca conficit Welckerus (*Iahn. Ann.* l. l. p. 259.), in hoc carmine mentionem fecisse poëtam Aethrae, Thesei matris, quam dicunt una cum Helena Theseo ereptam esse et sic, Helenae servam, Troiam venisse. — Quum autem eadem narratio in vituperium Helenae prodita esse videatur, recte inde suspicari licebit, in Ἰλίου πέρσιδι poëtam eam esse calumniatum. Praeterea nova haec in Helenam Stesichorus protulit convicia: Homerus enim, etsi hanc traditionem cognitam videtur habuisse, qui ipse quoque (*Iliad.* III. 114.) Aethram, Pitthei filiam (1), Troiae servam fuisse Helenae dixerit, non narravit tamen, ut ille, Thesei rapinam. Primum haec tradidisse Stesichorum, conficias ex ipsis etiam Pausaniae (ll.) verbis:

---

chori narrationem secuti sunt Euripides *Iph. A.* vs. 51-65, Libanius in *Orat. Ulyssis ad Troianos* (p. 218. C.), alii. Cff. intpp. ad *Hygin.* c. 78, *Apollod.* ll., Meziriac. ad Ovid. *Heroid.* I. p. 28. ed. Hag.

(1) Dubitant nonnulli, fueritne haec Aethra, Pitthei filia, apud Homerum eadem ac mater Thesei, quae ipsa quoque Pitthei erat filia, quum tempora non satis congruant: v. intpp. ad *Hygin.* c. 79. Eandem certe Homerum intellexisse existimo: satis enim mirum foret,

Καὶ ἐπὶ τῷδε Εὐφορίων Χαλκιδεὺς (1) *καὶ Πλευρώνιος Ἀλέξανδρος ἔπη ποιήσαντες, πρότερον δὲ ἔτι Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος* (2) *κ. τ. λ.* nam si quis ante eum haec habuisset, commemoraturus fuisset Pausanias.

3. Quod in primis *κακηγορίαν* continet fragmentum (96. ex Ptolem. Heph.)

Ἑλένη ἑκοῦσα ἀπῆρε· (3)

refertur illud quoque ad *Troiae excidium;* potuit tamen in quovis alio carmine, quo de Helena sermo fuerat, scriptum fuisse: modo haec ipsa sint Stesichori verba. Cf. infra p. 30.

4. Scholiasta ad Eur. *Orest.* vs. 1287. haec habet (fr. 27.): *Ἆρα εἰς τὸ τῆς Ἑλένης κάλλος βλέψαντες*

---

utramque Aethram eiusdem nominis patre fuisse; ac vereor, ne aeque illi fallantur, atque Menelaus ille Euripideus (*Helen.* vs. 516.), qui, quod Helenam Tyndaridem, Iovis filiam, in Aegypto versari audiverat, ad consilii inopiam redactus, aliam hanc esse Helenam sibi persuadere studet, hac proposita ratione:

πολλοὶ γάρ, ὡς εἴξασιν, ἐν πολλῇ χθονὶ
ὀνόματα ταὔτ' ἔχουσι, καὶ πόλις πόλει
γυνή γυναικί τ'· οὐδὲν οὖν θαυμαστέον.

(1) Euphorion mitiorem fortasse, quam Stesichorus, de Helena sententiam tulit in hac historia enarranda: dixit scilicet, Helenae filiam, ex Theseo susceptam, appellatam fuisse *Ἰφιγένειαν* (v. Etym. magn. in voc.)

— οὕνεκα δή μιν
Ἶφι βιαζομένη Ἑλένη ὑπεγείνατο Θησεῖ.

(2) Post hos multi hunc Helenae raptum commemorarunt: v. quos laudant Meziriac. ad Ovid. *Heroid.* I. p. 266, Meurs. ad *Lycophr.* vs. 147, et intpp. ad *Hygin.* ll.: quibus addo Herodotum IX. 73.

(3) Cf. Eur. *El.* vs. 1072:

ἡ μὲν γὰρ ἁρπασθεῖσ' ἑκοῦσ' ἀπῴχετο.

(Orestes et Pylades) *οὐκ ἐχρήσαντο τοῖς ξίφεσιν· οἷόν τι καὶ Στησίχορος ὑπογράφει περὶ τῶν καταλεύειν μελλόντων· φησὶ γάρ, ἅμα τῷ τὴν ὄψιν αὐτῆς ἰδεῖν αὐτοὺς ἀφεῖναι τοὺς λίθους ἐπὶ τὴν γῆν.* Ubi Kleinius »Sermo, inquit, de Graecis esse videtur, *post Troiam captam* poenas ex ista sumturis." Hinc Welckero etiam videtur finxisse Stesichorus in *Ilii excidio*, Helenam rite capitis condemnatam fuisse ab Achaeis: lapidatio quum poena fuerit consueta (1). Sed nusquam, nisi omnia me fallunt, legitur, Graecos post Troiam captam supplicio afficere voluisse Helenam. Aliud enim est, quod in *Ilii excidio* habuit poëta (ut ex *tab. Iliaca* conficit Welckerus), Menelaum crinibus eam protraxisse, gladium vero post tergum retinuisse (2), quod Euripidi obversabatur *Helen.* vs. 116. scribenti:

Μενέλαος αὐτὴν ἦγ' ἐπισπάσας κόμης·

et *Androm.* vs. 630 sqq.:

ἑλὼν δὲ Τροίαν —
οὐκ ἔκτανες γυναῖκα, χειρίαν λαβών,
ἀλλ', ὡς ἐσεῖδες μαστόν, ἐκβαλὼν ξίφος,
φίλημ' ἐδέξω, —

Contra, Menelai arbitrio traditam fuisse Helenam, apparet ex *Troad.* vs. 880. sqq: ipsi autem placet abducere eam

Ἑλληνίδ' εἰς γῆν, κᾆτ' ἐκεῖ δοῦναι κτανεῖν
ποινὰς ὅσοις τεθνᾶσ' ἐν Ἰλίῳ φίλοι·

---

(1) Welck. *Iahn. Ann.* p. 259: » woraus man sieht dass Stesichoros eine förmliche Verurtheilung der Helena durch die Achäer gedichtet hatte; denn Steinigung war die gewöhnliche Todesstrafe," cet.

(2) Idem habuisse Ibycum, monet Welck. *Gr. Tr.* p. 9.

In Graeciam vero reversus, ut apparet ex ipsa Euripidis *Oreste* vs. 57., Menelaus

> *Ἑλένην, φυλάξας νύκτα, μή τις εἰσιδὼν*
> *μεθ᾽ ἡμέραν στείχουσαν, ὧν ὑπ᾽ Ἰλίῳ*
> *παῖδες τεθνᾶσιν, ἐς πέτρων ἔλθῃ βολάς,*
> *προὔπεμψεν —*

et ipsa Helena (vs. 102.)

> *δέδοικα*, inquit, *πατέρας τῶν ὑπ᾽ Ἰλίῳ νεκρῶν.*

Lapidatio igitur non Troiae versanti imminebat Helenae, sed in Graeciam reversae, secundum Euripidem in *Oreste*; atque hoc ipsum ex Stesichoro hausisse eum arbitror, ita ut fragmentum illud non ad *Iliupersin* referendum sit, sed ad *Orestiam*. Itaque, ipsius licet laudata fuerit pulchritudo, in vituperium tamen Helenae si dictum est Graecos poenas ab ea repetere voluisse, in *Orestia* hoc *vituperium* protulisse Stesichorum, verisimile erit.

5. Nobile praeterea est fragmentum (74.), quod manifesto in vituperium Helenae dictum est, apud eundem Scholiast. ad Eur. *Orest.* vs. 243., quod sic constituit Kleinius:

> *Οὕνεκα Τυνδάρεως ῥέ —*
> *ζων ἅπασι θεοῖσι μιᾶς λάθετ᾽ ἠπιοδώρου*
> *Κύπριδος, κεῖνα δὴ Τυνδάρεω κού —*
> *ρας χολωσαμένα διγάμους τριγάμους τε τίθησι*
> *καὶ λιπεσήνορας.*

»Habes, inquit Kleinius, ipsius Helenae vituperii partem et fere summam: quamquam dubium est ad Troiae excidium locum recte referamus an ad Ore-

stiam." Illud probavit Welckerus (in *Jahn. Ann.* II. p. 260.), hoc Geelius (in *Mus. Rh.* II. p. 7); ipse quoque hoc fragmentum ad *Orestiam* potius referendum esse puto: continet enim non tantum Helenae vituperium, sed etiam Clytaemnestrae, quae in *Troiae excidio* non poterat dici *δίγαμος*, in *Orestia* vero locus erat ipsam reprehendendi.

Ipsos igitur hos versus ex Stesichori *Orestia* in suam *Orestem* transtulit Euripides, vs. 243.

> ἐπίσημον ἔτεκε Τυνδάρεως εἰς τὸν ψόγον
> γένος θυγατέρων, δυςκλεές τ' ἀν' Ἑλλάδα.

et vs. 533. ubi ipse Tyndareus confitetur:

> ἐγὼ δὲ τἄλλα μακάριος πέφυκ' ἀνήρ,
> πλὴν εἰς θυγατέρας· τοῦτο δ' οὐκ εὐδαιμονῶ.

Cf. vs. 1298.:

> τὰν λειποπάτορα,
> λειπόγαμον —

Hinc mihi iam veri simile fit, saepius Euripidem in *Oreste* Stesichori *Orestiam* ante oculos habuisse, et plura fortasse etiam Helenae convicia, quibus haec fabula prae caeteris abundat, ex *Orestia* hausisse.

Itaque non tantum in *Troiae excidio* Stesichorum calumniatum esse Helenam, arbitror, verum etiam in *Orestia*. Quid quod universe in prioribus, quibus quidem de Helena sermo fuerit, carminibus poëta vituperium in eam prodidit? Vide, an sic intelligenda fortasse sint verba illa Isocratea, supra laudata: *ὅτε μὲν γὰρ ἀρχόμενος τῆς ᾠδῆς ἐβλασφήμησέ τι περὶ αὐτῆς*: quibus si significatur, *initio studii poëtici* vituperavisse Stesichorum, universe de *prioribus* hoc

dictum videri potest *carminibus*, quum opponantur ea, quae postea in Palinodia cecinit poëta.

Stesichorus certe et nova in Helenae calumniam protulit, et acerbioribus in eam invectus est verbis, quam Homerus, cuius quidem, teste Ovidio (*Trist.* II. 371),

> Ilias ipsa quid est nisi turpis adultera, de qua
> Inter amatorem pugna virumque fuit?

qui tamen quam clemens in Helenam fuerit, initio Cap. I[i] monuimus. Habebat igitur Stesichorus, quae recantaret, sive ab Helena iussus, sive proprio id fecerit impulsu.

§ 2. Nam haec secunda nobis oritur quaestio, *de Palinodiae origine*, de qua haec Himerensium et Crotoniatarum narratio, prodita ab Conone (ap. Photium *Bibl.* p. 133. ed. Bekker.): »Conserunt pugnam Locri cum Crotoniatis. Crotoniatarum dux Autoleon vulneratur ex occulto: qui quum graviter laboraret, oraculo suadente, Leucen insulam Ponticam petit. Ibi heroum animas precibus delinit, impetratque ut vulnus ab Aiace Locro curetur. Quo facto, Helena, cuius anima inter heroas illos versabatur, Autoleonti imperavit, ut hortaretur Stesichorum ad *recantationem* componendam, si oculorum visum sibi restitui vellet. In reditu Autoleon Stesichoro narrat: qui statim hymnis in honorem Helenae factis caecitate liberatur" (1). Paullo aliter Pausanias (III. 19. 11. v. Klein. p. 21.) tum in caeteris, tum in his: Helenam Leonymo (pro

---

(1) Usus sum interpretatione Geelii p. 5. – Idem fere praeter Pausaniam habet Hermias ad Plat. *Phaedr.* p. 243. a. (Welck. p. 271.)

Autoleonte) imperasse, ut nuntiaret Stesichoro, *ὡς ἡ διαφθορὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἐξ Ἑλένης γένοιτο αὐτῷ μηνίματος. Στησίχορος μὲν ἐπὶ τούτῳ τὴν παλινῳδίαν ἐποίησεν.* — Hanc traditionem reiecerat Kleinius (p. 91 et 97.) »gentilium quippe figmentum, nec alio quoquam teste probatam," sustulerat Welckerus (p. 273.), abiecit rursus Geelius (p. 7.), ex ipsa Recantatione peti potuisse ornarique, contendens, hanc Crotoniatarum et Himerensium fabulam. — Equidem et veritatis aliquid inesse huic narrationi existimo, et nonnulla cum iis, quae in Palinodia cecinerit poëta, confusa esse, suspicor; quod quo modo fieri potuerit, difficile est dictu, suspicionem tamen meam non reticebo: Stesichorus quum, *vituperio* scripto *Helenae*, subito erat occoecatus, audivit ex Autoleonte, eo fere tempore ex Leuce insula redeunte, Helenam illic coli Deamque haberi: hinc, falsa esse quae antea de Helena cecinerat, sibi persuasit poëta: hinc incitatus est, ut Palinodiam componeret, qua occoecationem suam, sive credulus ipse, sive fingens tantummodo, Helenae imputans iratae, et precibus Deam adiret, et recantaret quae in eam cumulaverat vituperia. Addidit, quod suae causae in primis erat aptum, Helenam post mortem Deam factam in Leuce insula: atque hoc ipsum Autoleontem sibi nuntiasse, addere potuit. — Hoc variarunt Himerenses, ita ut narrarent, Helenam imperasse Autoleonti, ut Stesichorum certiorem faceret de causa caecitatis, quin etiam ut hortaretur eum, ad *Recantationem* componendam. — Hanc similemve originem esse existimo huius Himerensium et Crotoniatarum fabulae. Neque huic meae coniecturae obstare puto difficultatem, quam de aetate Stesichori movit

Geelius (p. 6.): quamquam enim, si post Autoleontis demum reditum recantavit poëta, senex recantaverit necesse est, non in aetatis tamen flore vituperium scripsisse Helenae, sed universe in prioribus carminibus, supra conieci.

Nolo tamen quidquam affirmare, neque ipse huic meae coniecturae plus tribuo, quam eius modi tribuendum est coniecturis. Potuit sane aliunde etiam similem famam, de Helena in Leuce insula Dea habita, cognitam habere poëta: secundum Cypria enim carmina, Helenam et Achillem amore coniunxerat ante Troiam Thetis (*Ἀχιλλεὺς Ἑλένην ἐπιθυμεῖ θεάσασθαι καὶ συνήγαγεν αὐτοὺς εἰς τὸ αὐτὸ Ἀφροδίτη καὶ Θέτις*), secundum Arctini autem Aethiopin »Thetis mortuum Achillem *εἰς τὴν Λευκὴν νῆσον διακομίζει*" fortasse Helenam, cuius copiam fecerat vivo Achilli, ipsi mortuo etiam, vel potius immortali in Leuce insula Deo, adiungens uxorem (1).

Aliunde igitur licet hanc famam cognitam habuerit Stesichorus, potuit tamen Autoleontis demum narratio ipsi ad Recantationem componendam praebere ansam. Fortasse Autoleonti nihil debuit poëta, sed male confuderunt populares ea, quae ex Palinodia cognoverant, cum iis quae ex itinere narraverat Autoleon: praesertim quum visum, Recantatione facta, recuperasset Stesi-

---

(1) Cypriorum narratio, de Achillis in Helenam amore, obversata esse videtur Euripidi in *Helena* vs. 95., ubi Achillem dicit inter procos fuisse Helenae. — Arctini narrationem, de Achille in Leuce insula Deo, secutus est Euripides *Androm.* vs. 1265 sq. *Iph. Taur.* vs. 435, alii, quos laudat Roulez. ad Ptolem. Heph. IV. p. 91, quo loco similis occurrit fama de Achillis et Helenae in Beatorum insulis commoratione.

chorus, non sine ipsius interventu Helenae atque hortatione per Autoleontem factum esse, arbitrabantur scilicet. — Utcunque haec res sese habet, certe non persuadet Welckerus, Palinodiam debere originem sacerdotibus in Leuce insula, qui, Helenae nimirum cultum tuentes, recantare non tantum iusserint Stesichorum, sed veriora etiam ipsum de Helenae fatis docuerint; ab his igitur novam hanc de Helena famam esse repetendam. Neque hoc dicitur in Himerensium illa narratione: secundum Cononem enim, non praecepit Helena, *quo modo* recantandum esset Stesichoro, sed admonuit tantum, *ut* recantaret, si oculorum visum sibi restitui vellet: secundum Pausaniam autem, ne hoc quidem ei nuntiari iussit, sed tantum, occoecationem ab Helena irata fuisse immissam: Stesichorus, non iussus, *ἐπὶ τούτῳ τὴν παλινῳδίαν ἐποίησεν.* — Neque magis persuadet Heinischius *Proleg. ad Eur. Hel.* (v. Welck. p. 279.), ab Aegyptiis sacerdotibus repetenda esse quae in Palinodia cecinerit Stesichorus: ipsam potius Aegyptiorum narrationem suspicor ortam esse ex Palinodia, qua de re deinde videbimus.

Difficile autem est diiudicare, quatenus Stesichorus ipse invenerit quae in Palinodia cecinit, quid debuerit traditionibus, quae nunc nos latent. Quum vero in aliis quoque acerrimus esset rerum mythicarum novator (v. Klein. p. 24.), non dissimile veri erit, eum in hoc quoque carmine multa finxisse ex suo ingenio, nullis traditionibus nitentem: verum nihil in his affirmandum.

Nihil vero tribuas velim Archelao cuidam Cyprio, cuius hanc narrationem prodit Ptolemaeus Hephaestio-

nis (1): *Ἀρχέλαος δὲ ὁ Κύπριος Στησιχόρου φησὶ τοῦ ποιητοῦ Ἑλένην Ἱμεραίαν ἐρωμένην γενέσθαι Μικύθου θυγατέρα· ἀποστᾶσαν δὲ Στησιχόρου καὶ πρὸς Βούπαλον πορευθεῖσαν ἀμυνόμενον τῆς ὑπεροψίας τὸν ποιητὴν γράψαι, ὡς Ἑλένη ἑκοῦσα ἀπῆρε· ψευδῆ δὲ τὸν περὶ τῆς πηρώσεως εἶναι λόγον.* Quibus verbis significare videtur Archelaus, »Stesichorum, ut ulcisceretur (2) Helenam amicam suam, propterea quod ipsum neglexerit aliumque adamaverit, in eius vituperium scripsisse: *Helenam sua sponte abiisse.*" Nullum vero hoc est vituperium, quodsi ad Stesichori amicam haec verba referuntur; de Troica contra Helena recte dicuntur, ipsiusque *κακηγορίας* partem videntur continere. Male igitur ea, quae manifesto ad Helenam Troicam pertinent, ad Stesichori amicam transtulit Archelaus, et, suo se gladio iugulans, probavit, re vera in Troicam Helenam vituperium scripsisse Stesichorum, falsam autem esse suam de Stesichori amica historiolam, a seque, ut videtur, excogitatam.

Hanc vero narrationis diversitatem forte ita componi posse, putat Mitscherlichus Argum. ad Horat. *Carm.* I. 16, »ut Stesichorum dum puellam Siculam carmine isto proscindere in animo haberet, totam carminis rationem ad personatam illam Helenam, quae eodem perfidiae crimine teneretur, adtemperasse atque transtulisse, adeoque sub huius nomine alterius perfidiam

---

(1) Lib. IV. p. 65. ed. Teucher., p. 25. ed. Roulez. quem cf. in adnot. p. 100, ap. Phot. *Bibl.* p. 149. ed. Bekker. (fragm. 96. Klein.); v. supra p. 22 diss. m.

(2) Dubito tamen, num recte dicatur *ἀμύνεσθαί τινά τινος* pro *περί τινος*, ulcisci aliquem alicuius rei causa.

perstrinxisse existimemus." Quam coniecturam confirmare videri potest Acronis sententia, Horatium ll. imitatum esse Stesichori Palinodiam, in amicam suam Palinodiam dum componeret, recantaretque opprobria: quin ipsum etiam Tyndaridis nomen, quo haec Ode inscripta fuerit, ab Stesichoro petitum esse putant. At iusto plus tribuerunt Horatii interpretes imitationi Stesichoreae Palinodiae, qua de re v. quae disputavit Peerlkampius ad h. l.: »Si quis verba Acronis consideret, is videbit, hoc tantum voluisse Grammaticum: Horatius scripsit hanc Oden in satisfactionem amicae suae, quam iratus carmine laeserat: imitatus Stesichorum poëtam, qui vituperationem scribens Helenae coecatus est, et postea laudem eius scribens, oculorum adspectum recepit. Haec sunt ipsa fere Acronis verba. Imitatio igitur est, quod ut Stesichorus, sic Horatius scripsit Palinodiam et probra recantavit." Neque pluris pendenda imitatio Palinodiae, quam in Horat. *Epod.* 17. vs. 42 sqq. observare sibi videtur Mitscherlichus; cuius insignis praeterea error, vel incuria potius notanda est in annotatione ad h. l. et in Argumento h. c.: mire enim Archilochum, Stesichorum, omnia confundit miscetque, »Palinodiam Archilochiam, Archilocho quod Helenam infamasset ademta lumina" dicens, »Himeraeum denique Iambographum" nescio utrum appellans.

Ipse igitur Archelaus aut de industria hanc historiolam de Stesichori amica videtur excogitasse, qua veritatis quadam specie vituperii Helenae et Palinodiae explicaret originem, probaretque occoecationis famam esse falsam: aut confudit Stesichori *κακηγορίαν* Helenae cum Archilochi »versibus atris" qui

»— Lycambae spretus infido gener"
»— sponsae laqueum famoso carmine nectit" (1).

vel etiam cum Hipponactis historia, qui ob matrimonium, quod cum Bupali filia volebat inire, recusatum, »acer hostis Bupalo" ad laqueum eos compulisse dicitur. Recte praeterea Silligius (2) demonstrat, male Archelaum cum Stesichori historia iunxisse Bupalum, artificem illum celeberrimum; (alium autem si intellexisset Bupalum, addidisset, puto, Archelaus:) »ineptum enim foret credere, inquit Silligius, unam puellam et ab Stesichoro, qui anno 553 summa senectute obiit, et a Bupalo, qui anno 520 etiam artem exercuit, amatam fuisse. Grandaeva certe fuisset ista puellula." Itaque non curo hanc Archelai narrationem, praesertim Ptolemaeo referente, qui, veritatis parum curans, undecunque maxime παραδόξους narratiunculas congesserit, novas scilicet *novis* suis *historiis* fabellas additurus, quique hoc loco quam plurimas, quae Helenae nomine gavisae essent, recensere studuerit mulieres.

§ 3. Tandem aliquando videamus, quid continuerit Palinodia. Hoc vero eo est difficilius ad diiudicandum, quo verior videtur Geelii esse sententia (p. 12), »non probari posse e permultis, qui carmen illud commemorarunt eove respexerunt post Platonem, quemquam propriis oculis inspexisse." Ingeniose enim probavit v. Cl., omnes illos ex uno Platone hausisse, neque quidquam tribuendum esse Aristidis loco (t. II. p. 572. Dind.), quem Kleinianis copiis addiderat

---

(1) Horat. *Epist.* I. 19. vs. 31 et *Epod.* 6. vs. 13. sq. — V. Liebel. *Archilochi fragm.* p. 14, Welcker. *Hipponactis fragm.* p. 12.
(2) Sillig. *Catalog. artificum* voc. Bupalus.

Welckerus; neque Tzetzae ad *Lycophr.* vs. 113, qui nil nisi *εἴδωλον* versus servaverit; neque Eustathio ad *Iliad.* XI. vs. 369; neque eiusdem ad *Iliad.* II. vs. 158. verbis: *ἕτεροι δὲ οὐ τὴν Ἑλένην αὐτὴν, εἴδωλον δὲ αὐτῆς εἰς Τροίαν ἀχθῆναι φάμενοι, ὡς ἐν σκιαμαχίᾳ τὰ Τρωϊκὰ φαντάζονται*: quo loco *σκιαγραφίᾳ* legendum esse, aliquando conieci, vel etiam vocabulum *σκιαμαχίᾳ*, Eustathio oculis aberrante, ortum esse ex Platonis loco in *Rep.* IX. p. 586: B. C. *Ἆρ' οὖν οὐκ ἀνάγκη καὶ ἡδοναῖς ξυνεῖναι μεμιγμέναις λύπαις, εἰδώλοις τῆς ἀληθοῦς ἡδονῆς καὶ ἐσκιαγραφημέναις, — ὥστε — καὶ περιμαχήτους εἶναι, ὥσπερ τὸ τῆς Ἑλένης εἴδωλον ὑπὸ τῶν ἐν Τροίᾳ Στησίχορός φησι γενέσθαι περιμάχητον, ἀγνοίᾳ τοῦ ἀληθοῦς;* — nunc vero in Geelii acquiesco sententia, Eustathium male adhibuisse hoc vocabulum, ludentem scilicet: *εἴδωλον* quippe et *σκιά* quum idem fere sint, pugnaque fuerit de *εἰδώλῳ*, *σκιαμαχίαν* fuisse ille dicit, quae sane non erat *σκιαμαχία*, sed vera pugna: »pugnaverunt enim cecideruntque multa mortalium corpora."

Ex uno igitur Platone certa cognovimus de iis, quae continuit Palinodia: pertinent huc luculenti versus superstites in *Phaedro* p. 243. A., ipsum, ut videtur, initium Palinodiae:

Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος·
Οὐ γὰρ ἔβας νηυσὶν ἐν εὐσέλμοις,
Οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας.

His si addideris locum ex *Republ.* IX. p. 586. C., modo laudatum, omnia habebis, quae, disertis veterum testimoniis, de Stesichori Palinodia cognita sunt: »Helenam scilicet non venisse Troiam, sed eius *εἴδωλον*, de

»— Lycambae spretus infido gener"
»— sponsae laqueum famoso carmine nectit" (1).

vel etiam cum Hipponactis historia, qui ob matrimonium, quod cum Bupali filia volebat inire, recusatum, »acer hostis Bupalo" ad laqueum eos compulisse dicitur. Recte praeterea Silligius (2) demonstrat, male Archelaum cum Stesichori historia iunxisse Bupalum, artificem illum celeberrimum; (alium autem si intellexisset Bupalum, addidisset, puto, Archelaus:) »ineptum enim foret credere, inquit Silligius, unam puellam et ab Stesichoro, qui anno 553 summa senectute obiit, et a Bupalo, qui anno 520 etiam artem exercuit, amatam fuisse. Grandaeva certe fuisset ista puellula." Itaque non curo hanc Archelai narrationem, praesertim Ptolemaeo referente, qui, veritatis parum curans, undecunque maxime παραδόξους narratiunculas congesserit, novas scilicet *novis* suis *historiis* fabellas additurus, quique hoc loco quam plurimas, quae Helenae nomine gavisae essent, recensere studuerit mulieres.

§ 3. Tandem aliquando videamus, quid continuerit Palinodia. Hoc vero eo est difficilius ad diiudicandum, quo verior videtur Geelii esse sententia (p. 12), »non probari posse e permultis, qui carmen illud commemorarunt eove respexerunt post Platonem, quemquam propriis oculis inspexisse." Ingeniose enim probavit v. Cl., omnes illos ex uno Platone hausisse, neque quidquam tribuendum esse Aristidis loco (t. II. p. 572. Dind.), quem Kleinianis copiis addiderat

(1) Horat. *Epist.* I. 19. vs. 31 et *Epod.* 6. vs. 13. sq. — V. Liebel. *Archilochi fragm.* p. 14, Welcker. *Hipponactis fragm.* p. 12.
(2) Sillig. *Catalog. artificum* voc. Bupalus.

Welckerus; neque Tzetzae ad *Lycophr.* vs. 113, qui nil nisi εἴδωλον versus servaverit; neque Eustathio ad *Iliad.* XI. vs. 369; neque eiusdem ad *Iliad.* II. vs. 158. verbis: ἕτεροι δὲ οὐ τὴν Ἑλένην αὐτὴν, εἴδωλον δὲ αὐτῆς εἰς Τροίαν ἀχθῆναι φάμενοι, ὡς ἐν σκιαμαχίᾳ τὰ Τρωϊκὰ φαντάζονται: quo loco σκιαγραφίᾳ legendum esse, aliquando conieci, vel etiam vocabulum σκιαμαχίᾳ, Eustathio oculis aberrante, ortum esse ex Platonis loco

Maandag 6 Maart 1843.
Des middags ten Drie ure
Promotie

Aan den H. G. Bleeker Mahne

Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος·
Οὐ γὰρ ἔβας νηυσὶν ἐν εὐσέλμοις,
Οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας.

His si addideris locum ex *Republ.* IX. p. 586. C., modo laudatum, omnia habebis, quae, disertis veterum testimoniis, de Stesichori Palinodia cognita sunt: »Helenam scilicet non venisse Troiam, sed eius εἴδωλον, de

quo pugnaverint Graeci et Troiani." — Caetera, quae in hoc carmine cecinerit Poëta, incerta sunt quam maxime, et non nisi coniecturis confici quodam modo possunt. — Stesichorum etiam (sicuti in Herodoti et Euripidis narratione), dum pugnaretur ante Troiam, apud Proteum in Aegypto versantem fecisse Helenam, vehementer negat Welckerus (p. 278): cuius tamen equidem nondum persuadeor rationibus. Quod enim dicit Welckerus, sacerdotes in Leuce insula nihil habuisse causae, cur novam hanc excogitarent narratiunculam, regemque Aegyptiorum virtutis celebrarent exemplar, — hoc argumentum eo est tenuius, quo incertius ipsum illud, unde conclusionem facit vir celeberrimus, sacerdotibus istis originem debere Palinodiam. Neque me movent verba Dionis Chrysostomi (*Or.* XI. p. 162. A. fr. 45. 4. Klein.): *Καὶ τὸν μὲν Στησίχορον ἐν τῇ ὕστερον ᾠδῇ λέγειν* (φασὶ), *ὅτι τὸ παράπαν οὐδὲ πλεύσειεν ἡ Ἑλένη οὐδαμόσε*, ex quibus conficiunt viri docti, Helenam, quum navem non conscenderit, neque in Aegyptum venire potuisse; haec enim Dionis verba, hausta ex versu Stesichoreo illo apud Platonem *οὐ γὰρ ἔβας νηυσὶν ἐυσέλμοις*, non impediunt quo minus in Aegyptum venerit Helena, etiamsi eo non navigaverit. Apud Euripidem quoque Helena in cognomini Fabula *τὸ παράπαν οὐδ' ἔπλευσεν οὐδαμόσε*, nihilominus venit in Aegyptum, per aërem nimirum eo transvecta ab Mercurio. Atque hoc ipsum, suspicor, ex Palinodia hausisse Euripidem. Stesichorus enim certe alicubi, dum pugnaretur apud Troiam, versantem finxisse debuit Helenam: in Sparta eam latuisse, vel in proximo quodam loco, quod coniecit Welckerus, neque veri

simile videtur, nec ullum eius modi famae exstat vestigium. Quum vero et Sacerdotes Aegyptii apud Herodotum, et Euripides in *Helena* fabula finxerint, Helenam in Aegypto versatam esse tempore belli Troiani, quidni ipsum quoque Stesichorum idem cecinisse arbitremur? Euripidem certe, constat, ex Stesichori Palinodia hausisse, non ipsam Helenam, sed eius *εἴδωλον* Troiam venisse, — quidni ex eodem hausisse potuit miram illam verae Helenae per aërem in Aegyptum transvectionem (1)? — Neque fortuitam quis dixerit Aegyptiorum narrationis cum Stesichorea convenientiam: aut Stesichorum hausisse arbitror ex Aegyptiorum fama, aut hanc ex Stesichori ductam esse Palinodia. Quodsi ab Aegyptiis hanc famam accepit Stesichorus, quidni ipse quoque, ut illi, in Aegypto versantem fecit Helenam? sin Aegyptii ex Palinodia hauserunt, nonne hoc ipsum etiam, Helenam in Aegypto versatam esse, inde hausisse eos, veri simile est? At quo modo factum est, ut soli Aegyptii hanc de Helena famam cognitam habuerint? Inde, puto, quod Stesichorus in Aegypto collocaverat Helenam: sic enim, et facile Aegyptiis hanc famam innotuisse, et deinde more solito variatam atque exornatam enarrasse eam sacerdotes illos, nemini videbitur mirum.

Ut paucis comprehendam, non alienus sum ab hac sententia, et Stesichorum in Aegypto collocasse Helenam, et

---

(1) Minus recte Welckerus, Euripidem primum in Aegypto versantem fecisse Helenam, confecisse videtur ex Aristoph. *Thesmoph.* vs. 857., ubi Euripidis Helena appellatur *ἡ καινή*; hoc enim nihil aliud significare, quam *ὑπόγυον δεδιδαγμένη*, recte monuit Scholiasta ad h. l.; cf. quos laudavit Zirndorfer. *Chronol. fabb. Eurip.* p. 75. adnot. 5.

Aegyptiorum sacerdotum apud Herodotum narrationem originem debere Palinodiae. — Ut autem in εἰδώλου commento ob oculos habuisse Stesichorus videtur Aeneae εἴδωλον in Homeri *Iliade* (1), vel similes traditiones; ita quum Helenam in Aegypto collocaret, respexisse videtur locum illum Homericum, quo Menelaus cum Helena in Aegyptum venit post bellum Troianum. Fortasse, quemadmodum Euripides, ex Aegypto repetitam esse Helenam ab Menelao, finxit Stesichorus; fortasse Spartam reversa Helena, quum peteretur ab Argivis (2), qui in Troiam venisse eam putarent, iterum ab Diis in aërem sublata, Dea facta legebatur, qua in re Stesichorum imitatus fuerit Euripides in fine *Orestae;* fortasse in Leuce insula Deam factam esse Helenam (3), finxit Poëta: et sic porro multa licet coniicere, pauca affirmare; neque facile quis lucem afferet his tenebris, nisi qui novos de Stesichori Palinodia exploraverit fontes; quod vereor, ne in tanta veterum scriptorum iactura nunquam sit futurum.

---

(1) *Iliad.* V. 449. Cf. supra p. 13., ubi male impressum *Il.* I.

(2) Cf. supra p. 24.

(3) Haec fere magni Hermanni fuit sententia in praef. ad *Helen.* p. IX., ita tamen, ut non primum in Aegyptum, sed statim in Leucen insulam ab aliquo deorum esse translatam Helenam, finxerit Stesichorus. cf. supra p. 27.

CAPUT TERTIUM.

DE HERODOTO.



Post celebratam illam Stesichori Palinodiam diu in oblivione fere iacuit altera haec de Helena fama, quam Euripides cognomini Fabula secutus est: neque facile, puto, παράδοξον hanc traditionem in scenam ducturus fuisset Tragicus, nisi nuper similem commemorasset, quin etiam defendisset Herodotus libro II. cap. 112—120.

§ 1. Quod enim ad hunc Herodoti locum scripsit Valckenaerius »Euripidem legerat, ni fallor, Herodotus," minus recte eum scripsisse, ex Herodoti aetatis computatione ostendit Hermannus in Praef. ad *Helen.* p. VIII. — Herodotus scilicet quum Olympiade fere 74. 1. natus sit, *Helena* autem fabula docta Olymp. 91. 4.; vel statuendum est, Herodotum post septuagesimum aetatis annum in Aegyptum profectum, ibi, »quod legisset Euripidis tragoediam, ex sacerdotibus quid veri esset in illa fabula esse sciscitatum," quod Valckenaerius putasse Hermanno videtur; vel credendum erit, illum totam suam narrationem ex Euripide hausisse, quod multo minus veri simile est. Praeterea, quum Herodotus Historias suas, specimen certe, praelegisse dica-

tur Olympiae Olympiade 81. 1., Athenis Olymp. 83. 3. aut 4. (1) i. e. triginta certe annis ante Helenam actam, dudum absolutum opus fuerit, quo tempore Euripides hanc Fabulam docuit; secundus certe liber, ex quo sua hauserit Euripides, absolutus fuerit atque editus. Hoc ex eo quoque apparebit, si probavero, diu ante *Helenam* actam ex *tertio* Herodoti Historiarum libro hausisse Sophoclem in *Antigone* fabula, quam docuit Olymp. 84. 4. aut 85. 1.

Herodotus (III. 119.) narraverat haec: »uxor Intaphernis, quum a Dario impetrasset, ut, quem ipsa elegisset cognatorum, ille servaretur, non elegit maritum, neque liberos, sed fratrem; interrogata autem, qua re, *τίνα ἔχουσα γνώμην*, hoc fecerit, respondet illa: *ἀνὴρ μέν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι· πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκ ἔτι μευ ζωόντων, ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο. ταύτῃ τῇ γνώμῃ χρεωμένη, ἔλεξα* (2) *ταῦτα.* — Apud Sophoclem Antigone, in cognomini Fabula vs. 902. sqq., se defendens fratrem quod sepeliverit, eodem plane modo, iisdemque paene verbis:

τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
πόσις μὲν ἄν μοι, κατθανόντος, ἄλλος ἦν,
καὶ παῖς ἀπ᾽ ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ᾽ ἤμπλακον·
μητρὸς δ᾽ ἐν Ἀΐδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν,
οὐκ ἔστ᾽ ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.
τοιῷδε μέντοι σ᾽ ἐκπροτιμήσασ᾽ ἐγὼ
νόμῳ — — ἔδοξ᾽ — κ. τ. λ.

---

(1) v. Krueger. ad Clinton. *Fast. Hellen.*

(2) Praefero *ἔλεξα* aliorum lectioni *ἔλεξε*, et propter interrogationem, quae praecedit, *τίνα ἔχουσα γν.*, et propter Sophoclis imitationem *τίνος νόμου πρὸς χάριν; — τοιῷδε νόμῳ — ἔδοξα.*

Multi utriusque loci similitudinem observarunt, sed uter ex utro sit desumtus, non convenit inter eruditos. Erroris auctor fuit Clemens Alexandrinus, qui (*Strom.* VI. p. 625. D.) loco illo de furtis Graecorum haec habet: *Σοφοκλέους τε ἐν Ἀντιγόνῃ ποιήσαντος· μητρὸς — βλάστοι ποτέ. Ἡρόδοτος λέγει· μητρὸς καὶ πατρὸς οὐκ ἔτ' ὄντων, ἄλλον οὐχ ἕξω.* Haec sane verba, locus communis, ab unoquoque facile scriptore sine imitatione, nedum sine furto, poterant usurpari: quo nomine Clementem, qui furtum hoc appellaverit, reprehendit Cobetus in *Platonis Comici reliq.* p. 69.; sed integer uterque locus, tam Herodoti, quam Sophoclis, inter se invicem erat conferendus, neque audiendus Clemens, qui Herodoto Sophoclea obversata fuisse dixerit. Hunc igitur Clementis errorem quum iam correxisset Wesselingius (*Dissert. Herod.* p. 176.), »ex Herodoti imitatione propagatum Sophocleum" dicens, consentiente Iac. Tollio (in *Fortuitis* c. 4.): Valckenaerius tamen (ad *Her.* l. l.) rurrus, »aliter, inquit, censeo, rationes habens forte non adspernandas, quae hic commode non possunt explicari. Qui Longino dicitur ὁμηρικώτατος XIII. 7. Herodotus, *Homerum* quem Polemo (*Laërt.* IV. 20.) vocabat *Tragicum*, Homericae certe magnificentiae proximum Sophoclem habuit in deliciis." Doleo, summae doctrinae virum rationes suas, non adspernandas illas, neque hoc loco, neque alibi quod sciam, prodidisse; quibus quum caream, meam sententiam meo periculo tueri cogor. Valckenaerii nempe in his error idem videtur esse, qui de Helena Euripidis, de quo init. h. cap. diximus, per tempora licet facilius excusandus, quum Herodoti Historiae non ita diu ante actam

Antigonam fabulam editae esse videantur. Neque persuadet Bothius, qui, fluctus puto componere studens, communi utrumque scriptorem fama usum esse existimat: nullum enim est dubium, quin propagatus sit alter ex altero locus, iisdem paene verbis expressus uterque, nisi quod altera sunt historici, altera poëtae. Herodotus non facile hanc sententiam nuperrime a Sophocle proditam ita Historiis suis immiscuisset, ut unusquisque esset perspecturus undenam eam mutuasset: quod sane facere non poterat sine gravi periculo, ne totam illam Persicae mulieris historiam finxisse videretur in gratiam sententiae Sophocleae, neque igitur sine magno φιλαληθίας, cui studebat, famae detrimento. Quis autem credat, Herodotum, quum historiam illam respexisse Sophoclem opinaretur, singula huius verba singulis reddidisse? Ipse enim sine dubio Herodotus, qui singularia quaecunque congerere amat, et hanc primus protulit narrationem, nativa historici simplicitate insignem. Huius autem narrationis propria sunt illa verba aptissimeque in ea dicuntur: in Sophoclis contra Tragoedia alienum quidem non tenent locum, verum tamen aliunde esse hausta facile quis perspiciat. Verbo, poëta ex historico hausit, non hic ex illo.

§ 2. Neque diutius opus esset huic quaestioni inhaerere, praesertim quum novissimus Sophoclis interpres, Wunderus ad h. l., quaestionem etsi non exploret, non dubitet tamen, quin Sophocles ex Herodoto sumserit: nisi Ad. Schöllius eo libro (1), quem de Sophocle

(1) *Sophokles. Sein Leben und Wirken. Nach den Quellen dargestellt.* Frankf. a. M. 1842. p. 120. not. 64.: »Herodot ist hier gewiss nicht der Dieb (!); denn bei ihm ist die originelle Erklärung in der ge-

nuper scripsit, quum recte Herodotum certe non hausisse ex Sophocle concedat, totum tamen Poëtae locum spurium iudicaret inde a vs. 904, (*καίτοι σ' ἐγὼ —*), si Dîs placet, usque ad vs. 920 (— *κατασκαφάς.*) Quibus novis fluctibus, periculum est, ne omnis haec nostra disputatio obruatur; at libere confitear: non magnopere me movent eius argumenta. Plane enim nego quod ille contendit, omnia haec Antigonae verba ipsius in tragoedia partibus minime apta, et quaesita esse quam maxime, verbo, infelicem esse imitationem narrationis Herodoteae. — Non lubet singula Schöllii refellere argumenta, quippe nec sponte nata, nec satis perspicua: meam potius Schöllianae opponam disputationem, qua mihi quidem constabit, peritissime Herodoti verba in suum usum vertisse Poëtam. Scilicet hoc tenendum erat: Sophocles *Antigonam* fabulam scribens, quae tota in Antigonae erga fratrem amore versabatur, in quo amore fraterno totius fabulae erat cardo, a quo tota tragoediae pendebat oeconomia, — eius modi, inquam, tragoediam quum meditaretur, non potuit non meminisse Sophocles loci huius Herodotei, in quo tam illustre fraterni amoris exstaret exemplum, quoque tam insignis redde-

---

schichtlichen Situation motivirt, hier in der tragischen Rolle aber recht mit Haaren herbeigezogen. Antigone muss erst den Fall voraussetzen, der ihr einen solchen Grund für ihre Handlung hätte eingeben können, den Fall, dass sie Mann und Kinder gehabt hätte, die sie nicht hat; und dann hätte sie den Bruder vorgezogen, den sie jetzt gar nicht im Fall war vorzuziehn, da er keine Konkurrenten hatte; und dan schielt der Gedanke immer noch; denn sie erhält sich ja den Bruder nicht; sondern gibt ihm nur die Todtenruh und wagt dabei nebst ihrem Leben ihre eigene Todtenruh, so dass endlich nicht einmal der Zweck, den Bruder wieder zu haben, auf den es in diesem Gedanken-Zusammenhang ankäme, hier gehörig gegeben, und das Ganze eine unglückseelige Uebertragung der pikanten Herodotischen Anekdote ist."

retur ratio cur frater prae omnibus sit diligendus atque aestimandus, parentibus nimirum mortuis. Sophoclem in primis hic locus latere non poterat, qui sine dubio Herodoti Historiam nuper legisset, fortasse praelegentem audivisset ipsum Herodotum: in huius praeter ea gratiam, quo familiari utebatur et amico (1), facile hunc locum egregiamque hanc Herodoti sententiam ita Antigonae conditioni adaptare potuit, ut unusquisque, Herodoto lecto, sponte intelligeret, cuinam haec deberet: quod ingenio poëtico non tantum licere, sed magno etiam plausu exceptum fuisse puto. Quod etsi non ita facere potuerit, ut omnibus numeris consentiret cum narratione Herodotea, alia atque Persicae illius mulieris quum sit Antigonae conditio, egregie tamen et ingeniose illius apud Herodotum verba Antigonae suae tribuit, eandemque fraterni amoris causam, qua illa incitata sibi servaverat fratrem, Antigonae fuisse finxit, ut iusto sepulturae honore eum afficeret. — Nihil autem in his esse quaesiti et inepti, omnem contra disputationem quam maxime dignam Sophoclis φαντασίᾳ ingenioque, optime apparebit, si, toto loco Latinis verbis expresso, ad contextum in primis Antigonae disputationis attenderimus: Moritura iamiam Antigone, »Gratum, inquit, spero adventum meum fore patri, gratum matri quoque, gratumque etiam tibi, frater carissime: vos omnes enim iusto honore sepulturae affeci: nunc vero tuum, Polynices, corpus curans, mortem propter ea accipio (τοιάδ᾽ ἄρνυμαι): et tamen iure te honoravi secundum eorum sententiam qui sapiunt (καίτοι σ᾽ ἐγὼ ᾽τίμησα τοῖς

(1) Quod ipse Schöllius probat p. 118. sqq.

φρονοῦσιν εὖ). Nam neque in liberorum profecto gratiam, mater si essem, neque in mariti mortui contra civium voluntatem hunc susceptura fuissem laborem (i. e. alia esset causa, si in liberorum aut mariti gratiam suscipere voluissem, invitis civibus: tum non iure id fecisse viderer sapientibus). Qua autem lege nixa haec dico? (Quare frater pluris aestimandus videtur sapientibus quam liberi aut maritus?) Ideo scilicet, quod maritus et liberi mortui recuperari facile possunt, frater contra, parentibus mortuis, nullo modo restitui potest: (frater igitur, quem semel tantum amittere possis, pluris aestimandus maiorisque faciendus, quam reliqui). Hac lege nixa quum te honoraverim (et iure honorasse videar sapientibus qui et ipsi hanc legem agnoscant) (1), Creonti tamen (qui ipse quoque, si sapiens esset, hanc legem cognitam habere debuisset) ea re peccasse, neque iure te honoravisse videor (τοιῷδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ νόμῳ, Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν.)" Sic haec quoque Schöllii difficultas tolletur (2), Creontem illam non cognitam habere potuisse causam, quam nunc demum prodiderit Antigona, neque, si cognitam habuisset, exspectari potuisse, illam ipsi probatum iri legem; — iure nempe exspectari poterat, Creontem tyrannum esse inter sapientes: sapientes autem cognitam habebant illam causam et probabant. — Neque reliquae mihi persuadent, quas movet Schöllius, diffi-

---

(1) Respicere simul videtur ad Herodotum, qui, quum primus hanc legem prodiderit in narratione illa, ipse quoque eam agnoscat adeoque in sapientibus sit habendus.

(2) P. 122.: »als ob irgend Kreon das nun erst vorgebrachte Motiv hätte wissen und, wenn er's wusste, ihm nur irgend hätte zugemuthet werden können, gerade dieses eingestanden egoistische Motiv anzuerkennen."

cultates. Concedo quidem per reliquam Fabulam incitari Antigonam solo sacro officio, eximiaque in fratrem pietate (1): at nonne hic eadem pietas, nonne haec iusta illius pietatis causa? Non inconsiderata, neque amens eum laborem susceperat, sed explorata habebat officia: et hoc ipsum, quod frater restitui non poterat, Antigonae erat fraterni amoris incitamentum, eoque magis sacrum ei incumbebat officium, ut iusto fratrem afficeret sepulturae honore: haec praeterea ipsi erat excusatio peccati, quod fratris causa peccaverat. — Neque intelligo, quo modo hos versus alienos a Sophoclis scribendi ratione iudicaverit Schöllius (2): neque quas in fine annotationis rationes addit, magnopere me turbant.

In primo enim versu (3) illud εὖ recte ad ἐτίμησα refertur, sed ἐμφατικῶς in fine versus post τοῖς φρονοῦσιν additur; quoniam statim in sequentibus ratio redditur, cur *iure* fratrem honorasse ipsa videatur sapientibus. Sin autem coniunxisset Poëta εὖ 'τίμησα, vereor, ne fuisset sententia: *bene* i. e. bona

---

(1) P. 121. f. »Wenn aber Antigone, die in Wahrheit nur sich selbst für den Bruder opfert, wobei jeder Egoismus aufhört, sich Mann und Kinder fingirt, um *der That, von der sie vorher und nachher immer erklärt, dass nur die heilige Pflicht sie ihr geboten und nur die Liebe sie dabei geleitet*, den Anstrich eines verständigen Egoismus zu geben, so ist das abgeschmackt."

(2) P. 122. »durchaus dem Styl des Sophokles zuwider cet. — Wem das nicht genug ist, der betrachte noch diese Verse im Einzelnen, um an der lockeren und unbezeichnenden Sprache ihre Unächtheit zu erkennen."

(3) »Gleich im ersten dieser Verse muss entweder εὖ widernatürlich von dem vor ihm stehenden φρονοῦσιν getrennt und zu ἐτίμησα zurückbezogen oder als zweifachgültig *mit* auf ἐτίμησα bezogen werden, oder es fehlt eben, was ausgedrückt sein müsste, ein solches die Rechtfertigkeit der That (des τιμῆσαι) bezeichnendes Adverb."

ratione te honoravi. Ne vero quisquam tanquam *τοῖς εὖ φρονοῦσιν* intelligeret, cavebat, qui Antigonae partes agebat histrio, subsistens paullulum ante vocabulum *εὖ*, eamque ipsam pronuntiatione premens (1). Hoc si nos quoque faciemus, nulla erit ambiguitas, quum *οἱ φρονοῦντες*, non addita adverbio *εὖ*, per se iam significet *prudentes*, *sapientes*. Quod deinde obiicit Schöllius, in sequenti versu verba *οὔτ' ἂν* (pessime in eius libro typothetae puto errore scriptum est *οὖτ' ἄν*) *εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν* dimidiam tantum exprimere sententiam, alteram, quam requirit ille, dimidiam »et mortui si essent hi liberi," facile suppleri posse arbitror ex sq. vs. *οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο.* Satis frigide Poëta additurus erat, quod praeterea desiderat Schöllius, »et si insepulti iacerent": nonne ex his »si mortui essent, non sepelirem" satis superque liquet, insepultos esse? Num omissum illud desideramus? — Neque me in sequentibus versibus quidquam offendit: tautologia (2) in iis non maior est, quam in eius modi scenis saepius apud tragicos, neque illud *ἄλεκτρον*, *ἀνυμέναιον*, *οὔτε του γάμου μέρος λαχοῦσαν* non convenit Antigonae conditioni. »Talem tamque acerbam mortem moriturae virginis querela non dissimilis est Polyxenae in Eur. *Hec.* vs. 411. sq. pietatis suae sibi consciae, sed praereptum iuventutis florem

---

(1) Quantum Graeci tribuerint pronuntiationi, quantaque in falsa pronuntiatione inesse saepe potuerit ambiguitas, notissimum est exemplo Hegelochi histrionis, qui magno cum auditorum risu *γαλῆν* pronuntiabat pro *γαλήν'* in hoc versu: (v. Schol. ad Eur. *Orest.* vs. 269.)

ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ.

(2) »Dann folgen die schleppenden Verse und tautologischen Klagen."

questae et ingustatam nuptiarum dulcedinem:" quod monet Sterkius de *Labd. hist.* p. 139.

Sed tandem hanc disputationem omittamus. Suo Schöllius fruatur iudicio: me vero eius argumenta non impediunt, quo minus genuinum existimem Sophoclis locum, haustumque ex Herodoti quam memoravi narratione.

§ 3. Transeo ad alterum locum, quo Tragicus ille Herodotum ob oculos habuisse videtur, quem Schöllius quoque memorat in fine ann. l. In *Oedipo* scil. *Coloneo* haec Oedipus: (vs. 337 sqq.)

> ὦ πάντ' ἐκείνω τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ νόμοις
> φύσιν κατεικασθέντε καὶ βίου τροφάς.
> ἐκεῖ γὰρ οἱ μὲν ἄρσενες κατὰ στέγας
> θακοῦσιν ἱστουργοῦντες, αἱ δὲ σύννομοι
> τἄξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί.
> σφῷν δ', ὦ τέκν', οὓς μὲν εἰκὸς ἦν πονεῖν τάδε,
> κατ' οἶκον οἰκουροῦσιν, ὥςτε παρθένοι·
> σφὼ δ' ἀντ' ἐκείνων τἀμὰ δυστήνου κακὰ
> ὑπερπονεῖτον. ἡ μὲν — — —
> γεροντάγωγεῖ, — — ἡγεῖται τὰ τῆς
> οἴκοι διαίτης, εἰ πατὴρ τροφὴν ἔχοι.

cf. Oedipi ad Polynicem verba (vs. 1363 sqq.)

> — — ἐκ σέθεν δ' ἀλώμενος
> ἄλλους ἐπαιτῶ τὸν καθ' ἡμέραν βίον.
> εἰ δ' ἐξέφυσα τάςδε μὴ 'μαυτῷ τροφοὺς
> τὰς παῖδας, ἦ τ' ἂν οὐκ ἂν ἦν, τὸ σὸν μέρος·
> νῦν δ' αἵδε μ' ἐκσώζουσιν, αἵδ' ἐμαὶ τροφοί,
> αἵδ' ἄνδρες, οὐ γυναῖκες, εἰς τὸ συμπονεῖν.

Quibuscum conferas quae habet Herodotus de Aegyptiorum moribus (II. 35): ἐν τοῖσι αἱ μὲν γυναῖκες

ἀγοράζουσι· οἱ δὲ ἄνδρες κατ᾽ οἴκους ἐόντες ὑφαίνουσι. — (*τὰ ἄχθεα οἱ μὲν ἄνδρες ἐπὶ τῶν κεφαλέων φορέουσι, αἱ δὲ γυναῖκες ἐπὶ τῶν ὤμων· οὐρέουσι αἱ μὲν γυναῖκες ὀρθαὶ, οἱ δὲ ἄνδρες κατήμενοι.*) — — *τρέφειν τοὺς τοκέας τοῖσι μὲν παισὶ οὐδεμίη ἀνάγκη, μὴ βουλομένοισι· τῇσι δὲ θυγατράσι πᾶσα ἀνάγκη, καὶ μὴ βουλομένῃσι.* Postrema in primis verba cum loco Sophocleo erant conferenda, ad quae non attenderunt interpretes: omnes enim, verba Herodotea *αἱ μὲν γυναῖκες — ὑφαίνουσι* huc in primis pertinere, dixerunt. In eo nimirum maxima vis comparationis esse debebat Sophocli: »Oedipi filii patrem non curabant, sed filiae, qui mos est Aegyptiorum; apud quos filiis nulla est necessitas parentes nutriendi, sed filiabus." Hanc sententiam Poëtam attulisse arbitror ad hanc comparationem instituendam, ita tamen, ut non singula Herodoti verba memoria teneret, et satis haberet, universe tantum Aegyptiorum, apud quos viri faciant quae sint mulierum et contra, morem commemorasse. Cogitasse enim Poëtam de hac Aegyptiorum lege, qua parentum *τροφεῖα* ad filias pertinebant, coniicias ex verbis *σφὼ δ᾽ ἀντ᾽ ἐκείνων* sqq. Quominus autem *οἱ ἄρσενες* apud Sophoclem accipias pro *οἱ ἄρσενες παῖδες* et *αἱ σύννομοι* pro *αἱ θυγατέρες* vel *αἱ ἀδελφαί*, obstat utriusque vocis usus: cf. *El.* vs. 600., Arist. *Av.* vs. 209; neque audiendus Scholiasta ad h. l. *Oed. Col.* *αἱ δὲ σύννομοι· αἱ ἀδελφαὶ ἢ αἱ γυναῖκες*: posterius tantummodo est verum.

Quodsi constat, alterum locum ex altero esse propagatum, ambiguum non erit, uter alterum sequatur, praesertim quum *Oedipum Coloneum* Sophocles docuerit Olymp. 94. 3. — Neque assensum quidem

plane negaverim doctissimo Cobeto (1), minus venustum esse Sophoclis locum: at vero attendendum est ad summam Oedipi indignationem, qua filios ad barbaros aequiparat, et tamquam barbarorum morum imitatores perstringit. Praeterea cupide amplectebantur poëtae quaecunque singularia ex peregrinis terris audirent: apparetque ex hac ipsa imitatione paullo quaesitiori Sophoclis Herodotea imitandi studium.

Tertius est locus, quo Sophoclem Herodotea imitatum esse dicunt. Ex Herodoti scil. verbis (I. 108): *ἐδόκεε δέ οἱ* (Astyagi) *ἐκ τῶν αἰδοίων τῆς θυγατρὸς ταύτης φῦναι ἄμπελον· τὴν δὲ ἄμπελον ἐπισχεῖν τὴν Ἀσίην πᾶσαν·* hausisse Poëtam hos versus (*Electr.* vs. 414):

— — *ἔκ τε τοῦδ'* (sceptro Agamemnonis) *ἄνω*
βλαστεῖν βρύοντα θαλλόν. ᾧ κατάσκιον
πᾶσαν γενέσθαι τὴν Μυκηναίων χθόνα

Equidem vero, etiamsi aliud in hac re somnium

---

(1) Hoc me monuit vir amicus literis nuper Florentia ad me datis: » — Nemo dicat, opinor, ambiguum esse, uter alterum sequatur: neque opus est, ut verbum addam, praeter hoc, mihi Sophoclis locum admodum displicere et perineptum videri. — Consule ad hunc locum Scholia vetera. Reperies locum Nymphodori e lib. XIII. *τῶν Βαρβαρικῶν*, qui *εὖ μάλα σεμνῶς* praeter alia haec narrat: *ὁ Σεσῶστρις ἐκθηλῦναι τοὺς ἄνδρας βουλόμενος — τὰ μὲν ἐκείνων ἔργα ταῖς γυναιξὶ, τὰ δὲ τῶν γυναικῶν ἐκείνοις προσέταξε ποιεῖν.* Quis non in cachinnos erumpat ad haec: *ὅθεν — τοὺς μὲν ἐπὶ τῶν κεφαλῶν φέρειν τὰ φορτία, τὰς δὲ ἐπὶ τῶν ὤμων ἠνάγκασε. ἔπειτα δὲ τοὺς μὲν καθημένους, τὰς δὲ ὀρθὰς ἑστώσας οὐρεῖν.* En furem! neque illum callidum, sed ridiculae stoliditatis." — Haec inserere non dubitavi quoniam video, neminem plagium hoc esse Nymphodori, suspicatum esse: Valckenaerius enim ad Herod. l. l. de fide quidem Nymphodori narrationis dubitat, coniicit tamen, Regem bellicosissimum, posteaquam plurimas gentes subiugasset, illud constituisse.

Clytaemnestrae habuerit Aeschylus in *Choëphoris* (1), Herodotea obversata esse Sophocli, contendere nolim. Aliunde enim etiam hanc ab Aeschylo diversam traditionem sumere potuit Poëta, vel ipse fingere, immemor loci Herodotei: cuius verba ei ante oculos fuisse, sic demum appareret, si ex omni parte ea expressissit, et *ἐκ τῶν αἰδοίων*, ut ille, enatam esse virgulam dixisset, qua tota Mycenaeorum obumbraretur terra.

Redeo ad rem: id sane liquet, Sophoclem in *Antigone* imitatum esse Herodotea, diu ante *Helenam* Euripidis actam; apertum igitur est, non Herodotum ex Euripide, sed Euripidem ex Herodoto ad Fabulam suam exornandam haurire potuisse.

§ 4. Herodoti autem narratio huc fere redit (II. 112—120): Memphi esse *τέμενος* Protei regis Aegypti, in quo sit *ἱρὸν*, quod appelletur *Ξείνης Ἀφροδίτης*; conieci, inquit, hoc esse Helenae Tyndarei filiae, et ex ipsa appellatione, et *τὸν λόγον ἀκηκοὼς ὡς ἐδιαιτήθη Ἑλένη παρὰ Πρωτέϊ.* Sciscitanti enim ipsi de Helena sacerdotes narrarunt, Paridem, quum raptâ Helenâ domum rediret, tempestate in Aegyptum fuisse deiectum ad ostium Nili Canopicum: ibi ministros eius supplices in templum Herculis confugisse et sacerdotibus illiusque ostii praefecto Thoni omnem narravisse rem, quo modo sese haberet, de Helena deque iniuria Menelao facta. Quibus auditis, Thonin eius rei certiorem fecisse Proteum: hunc omnes ad se adduci iussisse, et, re cognita, Paridi quidem intra triduum relinquere Aegyptum imperasse, Helenam vero opes-

(1) »Clytaemnestram sibi visam esse draconem parere, qui uberibus admotus una cum lacte grumum concreti sanguinis educeret." v. Westrik. *de Aesch. Choëph.* p. 100.

que raptas retinuisse, quas redderet Graeco hospiti, quando ipse repetiturus veniret. — Graecos deinde venisse Troiam, misisseque legatos (in quibus ipsum Menelaum), qui Helenam opesque repeterent; Troianos, se habere, negantes, omnia esse in Aegypto apud Proteum dixisse: a quibus Graecos se irrideri putantes, expugnasse urbem; quum vero ne tunc quidem Helena inveniretur, eundemque quem antea audirent sermonem, misisse Menelaum ad Proteum: a quo hospitio exceptum eum Helenam incolumem una cum opibus recuperasse. Ventis vero adversis quum detineretur, facinus nefandum perpetrasse Menelaum: duobus enim mactatis indigenarum filiis, aufugisse navibus versus Libyam. — Haec partim ex ipso Menelao se audivisse, partim, quippe apud ipsos gesta, vere se scire, profitebantur sacerdotes illi: quorum narrationi maiorem, quam par erat, fidem habens Herodotus, et Homerum hanc famam cognitam habuisse suspicatur (qua de re cap. I° vidimus), et ipse ad istam traditionem confirmandam huius modi multa *ἐπιλέγεται* (c. 120): »in Troia si fuisset Helena, reddituri fuissent Troiani, vel invito Paride; neque enim Priamus, neque reliqui cognati tam stulti fuissent, ut tantas calamitates ultro subirent in Paridis gratiam: quin etiam si Priamus ipse *συνοίκεε Ἑλένῃ*, redditurus eam fuisset: cet." Huius modi argumentis coniecturisque huic traditioni fidem conciliare studet credulus nimis Herodotus: cuius falsam esse narrationem, Homeri autem veram, probare conatus est Ang. Maria Riccius *Dissert. Homeric.* XL (tom. II. p. 217). — Meam de origine huius Aegyptiorum sacerdotum narrationis coniecturam in superioribus exposui p. 35.

CAPUT QUARTUM.

DE TRAGICIS DE IPSOQUE EURIPIDE.

§ 1. Antequam ad ipsum Euripidem perveniamus, de iis quoque videndum est tragicis poëtis, qui proxime eum antecesserunt, an fuerint qui hanc de Helena famam secuti sint. — Et veterrimi quidem illi ante Aeschylum, primi tragoediarum auctores, Thespis, Pratinas, Choerilus, Phrynichus, res Troianas omnino non attigisse videntur, Phrynichi si excipias *Troïlum*, modo exstiterit eius modi Tragoedia: v. Welck. *Gr. Tr.* p. 20. — Qui vero post illos fuerunt tragici hanc certatim sumserunt tragoediis materiam, quod vel ex titulis licet cognoscere. Aeschyli tamen nulla videtur fuisse, cuius Helena esset argumentum: in iis autem, quae ad Helenae fata pertinent, a vulgari traditione Homerica non deflexit. — Neque Sophoclis *Ἀλέξανδρος*, *Ἑλένης γάμος*, aliae, quidquam in nostram causam valent. Eiusdem *Ἑλένης ἁρπαγὴν* Welckerus olim (*Gr. Tr.* p. 158 sq.) retulit ad Helenam ab

Menelao raptam crinibusque protractam (1) post expugnatam Troiam; suam vero deinde (2) reiecit suspicionem, neque tamen de Paridis rapina (3) accepit, ut acceperat Schöllius. Quid quod suspicatur Hermannus (Praef. ad *Helen.* p. xv), non diversam fuisse hanc Sophoclis Fabulam ab eiusdem Ἑλένης ἀπαιτήσει? Non absona videtur suspicio: quodsi enim Helenam ex Aegypto repetitam finxit Sophocles, facile eadem Fabula et Ἑλένης ἀπαίτησις potuit appellari, et Ἑλένης ἁρπαγή, cuius fuerit eius modi argumentum, ut Menelaus frustra *repetitam* Helenam *rapuerit.*

Sed neque de Ἑλένης ἀπαιτήσει constat inter eruditos, quo pertinuerit. Hermannus, qui in Diss. *De dram. comico-satyr.* (Opusc. I. 46.) fabulam satyricam dixerat (negante Welckero *Nachträge zur Trilogie*, p. 292.), illustrans huius Fabulae fragmenta in Praef. ad *Helen.* p. xvi., ambiguum putat, »utrum

(1) v. supra p. 23. — Hanc certe verbi ἁρπάζειν notionem intelligas tum aliunde, tum ex Eur. *Hec.* vs. 1109, ubi Polymestor quaerens Hecubam, quae occoecaverat ipsum, haec ad Agamemnonem:

— εἰπὲ ποῦ 'σθ' ἵν' ἁρπάσας χεροῖν
διασπάσωμαι καὶ καθαιμάξω χρόα.

(2) In *Addit.* ad *Gr. Tr.* p. 1556: Meine frühere Vermuthung wird gut wiederlegt (a Schöllio, *Nachträge zur Kenntniss der trag. Poësie d. Gr.* p. 234 sqq.) und dafür der Raub des Paris angenommen, nur nach »dem nächstliegenden Sinn des Titels, da Bruchstücke sich nicht finden" und gewiss nicht mit Recht.

(3) Paridis rapina κατ' ἐξοχὴν fere appellatur Ἑλ. ἁρπαγή, Colutho quoque celebratum argumentum; Thesei contra rapina dicitur προτέρα Ἑλ. ἁρπαγή ap. Lucian. *dial. de salt.* (II. p. 292), quod minus recte de Helena a Paride rapta accepit Beckerus libro elegantissimo, qui inscribitur *Charikles*, *Bilder altgriechischer Sitte*, vol. I. .508. coll. 409.

ad repetitionem ab Troianis, postquam expugnata esset urbs, pertinuerit, an Sophocles quoque Menelaum, non inventam Troiae Helenam in Aegypto repetentem fecerit." Hanc sententiam amplexus est Schöllius (1), idem fuisse huius Fabulae argumentum censens atque *Helenae* Euripideae. Impugnat eos Welckerus, ita tamen, ut suam ipsius, quam antea prodiderat, coniecturam iterum reiiciat (2). — Equidem vix scio, quo me vertam, trahorque in diversas partes, neque hanc quaestionem in tanta veterum testimoniorum penuria facile diremtum iri arbitror: fragmenta enim huius Fabulae supersunt perpauca, eaque partim misere corrupta, partim argumenti tam incerti, ut eadem et ad res in Troia gestas referre haud incommode possis, et ad Helenam in Aegypto versantem pertinere, facile quis coniiciat.

Ex ipso titulo si quidquam conficere licet, est sane vocabulum *ἀπαίτησις* solemne in illa Graecorum ab Troianis *repetitione* Helenae ante ipsum bellum, cuius meminit Homerus *Iliad.* III. 205 sqq., XI. 125., quemadmodum in hac Cypriorum narratione (ap. Proclum): *ἔπειτα ἀποβαίνοντας αὐτοὺς εἰς Ἴλιον εἴργουσιν οἱ Τρῶες — καὶ διαπρεσβεύονται πρὸς τοὺς Τρῶας, τὴν Ἑλένην καὶ τὰ χρήματα ἀπαιτοῦντες*· (v. Henrichsen. *De carm. Cypr.* p. 103.): quam secuti vi-

(1) In vita *Sophoclis* p. 237. et libro modo laud. p. 246., quem vero consulere mihi non contigit.

(2) In *Gr. Tr.* p. 117. sqq. et in *Addit.* p. 1553.: Hier verwirft der Vf. (Schöll.) mit Recht meine frühere Erklärung, nimmt aber mit grossem Unrecht eine Helena in Aegypten, eine Schein-Helena an, ein Beispiel demnach, » dass auch Sophokles Tragödien der mährchenhaften Art gedichtet habe, wie von Euripides ein paar vorliegen."

dentur sacerdotes Herodotei (II. 118.), narrantes, Graecos, ad Troiam appulsos, misisse legatos, *ἀπαιτέειν Ἑλένην*. — Sin ipsa consideres fragmenta, etsi ingeniose ad Cypriorum narrationem transtulerat Welckerus, poterunt tamen eadem, ac nescio an melius, accipi de Helenae *ex Aegypto* repetitione. Sunt enim in iis, quae congruunt fere cum similibus locis in *Helena* Euripidis, veluti hic versus:

— ἐγὼ δὲ προδότις οὐκ ἤμην, τέκνον,

qui egregie convenit Helenae insontis in Aegypto conditioni, eumque ipsum expressit Euripides *Helen.* vs. 948:

— ἐγὼ δὲ προδότις οὐκ ἄρ' ἦν φίλων,

dummodo recte, diversos esse hos versus, statuerit Welckerus (*Gr. Tr.* p. 456. et in *Addit.* p. 1529.), quum prior ille citetur (ab Etym. M. p. 430, 5. et in Cramer. *Anecd. Gr.* IV. 378.) ex *Euripide ἐν Ἑλένης ἀπαιτήσει*: quae tamen auctoris nominis permutatio facile erit excusanda, si simile utriusque Fabulae fuisse argumentum, similemque utriusque Poëtae in eadem re versum statueris.

Aliud quoque fragmentum (ap. Schol. Eurip. ad *Phoen.* vs. 301.)

καὶ γὰρ χαρακτὴρ αὐτὸς ἐν γλώσσῃ τί με
παρηγορεῖ Λάκωνος ὀσμᾶσθαι λόγου,

ita comparatum est, ut facile intelligere possis de Menelao et Helena in Aegypto se agnoscentibus: similia apud Euripidem addere potuisset Menelaus, qui, conspectâ Helenâ, interrogaverat (*Hel.* vs. 580.)

Ἑλληνὶς εἶ τις ἢ 'πιχωρία γυνή;

Deinde, quam Sophocles expressit Helenae sententiam (ap. Schol. Aristoph. *Eq.* vs. 84.), his versibus:

> Ἐμοὶ δὲ λῷστον αἷμα ταύρειον πιεῖν
> καὶ μή γε πλείω (?) τῶνδ' ἔχειν δυςφημίας·

easdem de δυςφημία querelas saepe effundit Helena in Euripidis cogn. Fabula, ut vs. 53:

> — ἡ δὲ πάντα τλᾶσ' ἐγὼ
> κατάρατός εἰμι, καὶ δοκῶ προδοῦσ' ἐμὸν
> πόσιν, συνάψαι πόλεμον Ἕλλησιν μέγαν·
> τί δῆτ' ἔτι ζῶ; —

cff. vss. 66, 135, 278, 949. Quemadmodum igitur Euripidi insons erat Helena et (vs. 633.)

> — φήμας δ' ἡ τάλαινα Τυνδαρὶς
> ἄλλως κακὰς ἤκουσεν οὐδὲν αἰτία·

ita Sophoclem quoque insontem finxisse Helenam, suspicias. — Denique, quo flagrare videtur Helena Hermionae filiae desiderio apud Sophoclem (fr. 791.)

> καὶ τὰν νέορτον, ᾇς ἔτ' ἄστολος χιτὼν
> θυραῖον ἀμφὶ μηρὸν
> πτύσσεται, Ἑρμιόναν.

idem desiderium eadem exprimit apud Euripidem vs. 290. (coll. vss. 706, 950 al.)

> ὃ δ' ἀγλάϊσμα δωμάτων ἐμοῦ τ' ἔφυ,
> θυγάτηρ ἄνανδρος, πολιὰ παρθενεύματα.

Praeterea, duo sunt versus valde corrupti ex Sophoclis Ἑλένης ἀπαιτήσει, quos sic scriptos fuisse suspicatur Hermannus (Praef. ad *Helen.* p. XIX.)

γυναῖκα δ' ἐξελόντες, ἢ θράσσει γένυν
χρώζουσ' ἕωλον, γραφιδίοις ἐνημμένην (1).

qui si de senescente iam Helena accipiendi sunt, ut accepit Hermannus, ad Helenam ex Aegypto repetitam eos retulerim potius, quam ad repetitionem ab Troianis ante ipsum bellum; nam quo tempore Graecorum legati repetebant Helenam, summâ, puto, etiamnum florebat pulchritudine; ex Aegypto vero repetita, multo iam erat provectior aetate, praeterlapsis viginti et septem circiter annis post Paridis rapinam; viginti quippe ante Troiam expugnatam (v. Hom. *Iliad.* XXIV. 765.), septem vero ante Menelai in Aegyptum adventum (secundum Eur. *Helen.* vs. 112.).

Quodsi autem sententiam horum versuum recte expressit Hermannus, non dissimile veri arbitror, ad

---

(1) Alia est coniectura Th. Bergkii in *Zimmerm. Diar.* 1835. N. 114.

— θράσσει γε νῦν
οἴστρου Μενέλεων ξυραφίοις ἐνημμένοις.

i. e. eximentes mulierem, quae nunc quidem amoris novaculis quasi ardentibus turbat Menelaum. — Haec Geelius me monuit » haud satis feliciter a Bergkio, viro eximio, correcta esse: quumque Sophoclis verba ita legantur apud Erotianum:

γυναῖκα δ' ἐξελόντες, ἢ θράσσει γένυν
τε ὡς τοῦ μὲν αἴολον γραφίοις ἐνημμένοις

multo propius verum attigisse videri Hermannum. Caeterum si, eiectis tantum vocabulis *τοῦ μὲν*, (alios enim libros Erotiani praebere *ἕωλον* pro *αἴολον*) legatur:

— ἢ θράσσει γένυν
τέως ἕωλον γραφιδίοις ἐνημμένην,

optimam exire sententiam. Haec denique, quippe in fabula satyrica, dici potuisse de Helena etiam tum Troiae morante, respicique ipso verbo *ἐξελόντες* Troiani belli molestiam."

ipsos hos versus alludere Alexin *Ἑλένης ἁρπαγῇ*, hoc versu:

Ἀκόλαστός ἐστι, τὴν δὲ πολιὰν οὐκ ἐντρέπεται (1)·

qui iocum continere videatur de anili iam Helena; si constaret, Hermanni confirmaretur suspicio, quam supra commemoravi, Sophoclis *Ἑλ. ἁρπαγὴν* et *Ἑλ. ἀπαίτησιν* eandem fuisse Fabulam, duplici titulo laudatam: sic enim *κωμῳδεῖν* videretur Alexis *ἐν Ἑλ. ἁρπαγῇ* versum ex Sophoclis *Ἑλ. ἁρπαγῇ* sive *ἀπαιτήσει*.

Quod autem dicit Hermannus (Praef. ad *Helen.* p. XVII), ipse de argumento huius Fabulae dubitans: »dirimeretur ea dubitatio, si constaret, quae de Calchante in ea Fabula prodita sunt, utrum ut iam facta, an ut futura narrentur. Si ut facta, in Aegypto rem agi oportuit; sin ut futura, Troiae:" — mihi quidem ut *iam facta* narrata videntur. Verba Strabonis, quae huc respiciunt, haec sunt (XIV. p. 642.): *λέγει δ' αὐτὸ Σοφοκλῆς ἐν Ἑλένης ἀπαιτήσει, ὡς εἱμαρμένον εἴη ἀποθανεῖν* (Calchantem), *ὅταν κρείττονι ἑαυτοῦ μάντει περιτύχῃ· οὗτος δὲ καὶ εἰς Κιλικίαν μεταφέρει τὴν ἔριν καὶ τὸν θάνατον τοῦ Κάλχαντος*, et deinde (p. 675.), *ταύτην τὴν ἔριν μεταφέρουσιν ἔνιοι, καθάπερ καὶ Σοφοκλῆς, εἰς τὴν Κιλικίαν, — καὶ τὸν θάνατον δὲ Κάλχαντος ἐνταῦθα παραδιδόασιν ἄλλοι*

---

(1) »Coniicere possis, inquit Meinekius *Fragm. Com. Gr.* vol. III. p. 412., *Ἀκόλαστος εἶ — ἐντρέπει.* Nisi forte aliquid excidit *τὴν δὲ πολιὰν τὴν τοῦ πατρὸς | οὐκ ἐντρέπεται.*" — Caeterum, cff. vss. ex Alex. *Ἑλένῃ*, quos ex eadem forte Fabula desumtos esse coniecit Meinck. II. p. 411. — Cf. Welck. *Gr. Tr.* p. 161.

τε καὶ Σοφοκλῆς. In Ciliciam igitur si Calchantis et certamen et mortem transtulit Sophocles, quo modo ut futura haec potuerunt narrari? Neque enim praedictum erat Calchanti, ubi terrarum moriturus esset, sed hoc tantum ipsi *εἱμαρμένον ἦν, ἀποθανεῖν, ὅταν κρείττονι ἑαυτοῦ μάντει περιτύχῃ* (1); neque mihi persuadeo, ab alio vate in Sophoclis Fabula Calchanti obiectum fuisse, in Cilicia ipsum mortem obiturum, quae Welckeri est sententia (*Gr. Tr.* p. 123.). Itaque, ut facta si narrata sunt in *Ἑλένης ἀπαιτήσει* Sophoclis, facta quum sint in reditu Graecorum post expugnatam Troiam (2), huius Fabulae argumentum ad ipsum reditum referri oportebit, aut post eum: quum autem tunc temporis, nisi ex Aegypto, nulla fuerit Helenae repetitio, *ex Aegypto Helenam repetitam* finxisse Sophoclem, sequitur. Quo modo autem Calchantis fata Fabulae intexuerit Sophocles, equidem nescio: potuit tamen ipse Menelaus, quum septem annos circumvagatus fuerit, vel ipse in Ciliciam profectus, vel aliunde, haec cognovisse: potuit igitur narrare hoc Calchantis certamen, et quo modo ab Mopso victus sit: idque eo fortasse consilio narravit, ut probaret, quam vana fuerint Calchantis vaticinia, qui neque de falsa Helena quidquam Graecis prodiderit. Hoc certe in ipsa Euripidis *Helena* Menelai socius Calchanti exprobrat (vs. 766. sqq.):

---

(1) Cf. Tzetz. ad *Lycophr.* vs. 427. *Κάλχας, ᾧ χρησμὸς ἐδόθη, ὅτι τότε θνήξεται, ὅτε κρείττονι ἑαυτοῦ ἐντύχοι μάντει.*

(2) v. Strab. init. l. c. ab Herm. *λέγεται δὲ Κάλχας — κατὰ τὴν ἐκ Τροίας ἐπάνοδον πεζῇ δεῦρο ἀφικέσθαι*; cum Strabonis loco cf. Tzetz. ad *Lycophr.* vs. 427 et 980: *Μετὰ γὰρ τὴν Ἰλίου πόρθησιν Κάλχας — δεῦρο πορεύονται εἰς Κιλικίαν.*

Κάλχας γὰρ οὐκ εἶπ' οὐδ' ἐσήμηνε στρατῷ,
νεφέλης ὕπερ θνήσκοντας εἰσορῶν φίλους.

Itaque, in Aegypto versantem Helenam si finxit Sophocles, exemplum habebimus, hunc iam a trita hucusque via deflexisse, vetustosque sacratos fere reliquisse mythos; unicum autem licet hoc fuerit exemplum, non licebit tamen a posteriori ratiocinari, Sophoclem non ex Aegypto repetitam finxisse Helenam, propterea quod alienum sit ab eius in tradendis mythis *χαρακτῆρι* (1). Aliquando, ut arbitror, ab illo more ac sua consuetudine declinasse potuit, et adducor propemodum, ut hic usurpem tritum illud »exceptio confirmat regulam." — Simile habemus exemplum antiquioris etiam tragici, Phrynichi, qui *Μιλήτου ἅλωσιν* docuit Tragoediam, non petitam illam ex vetustis traditionibus, sed ex historia recentissima.

§ 2. Liberiorem certe, quam superiores, rationem iniit Euripides, qui, Anaxagorae discipulus, *de scena philosophus* (2), et philosophandi studio fabularum *οἰκονομίαν* saepe accomodavit, et ab Homeri Cyclicorumque traditionibus ita saepe deflexit, ut nova plane proferre videatur (3). Cuius rei causa in ipsa est

---

(1) v. Welck. l. l. p. 118. »Dieser Stoff müsste bei Sophokles, wenn wirklich etwas darauf hinzudeuten schiene, das grösste Befremden erregen: so gar sehr ist er von dem Geschmack und der Charakteristik des Sophokles im Mythischen abweichend." Cf. supra p. 53. adn. 2.

(2) Hinc hic versiculus ap. Schol. Arist. *Nub.* 145.

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος.

Caeterum, de *Anaxagoreis* in Euripide v. Valck. *Diatr.*

(3) Recte iudicat Elink Sterk. de *Labd. hist.* p. 15: » Aeschylus Homerum in primis, Sophocles Cyclicos saepe aliosque secutus est. Nam

Graecorum tragoediae naturâ: »Graeci enim non quascunque res Tragoedia dignas iudicare solebant, sed illorum tantum hominum casus et facta in scenam proferebant, quos fabulosa antiquitas et mythologicae traditiones historiae intermixtae tanquam maiores et nobiliores atque necessitudine quadam cum Diis coniunctos poëtis celebrandos offerebant" (1). Euripides igitur saepe, a superioribus praerepta si esset vulgaris fama, novam excogitare cogebatur, aut incognitam adhuc proferre in scenam. Hinc » in diversis tragoediis, quod raro Sophocles, nunquam fortasse Aeschylus, aliquoties diversos auctores fuit in fabulis narrandis secutus," ut recte Valckenaerius *Diatr.* c. XVII. in f., exemplum simul proferens huius Euripidis consuetudinis ex eius *Inone* et *Medea*, cui plura addere licet: ad manum sunt, quae habet Euripides in *Iphigeniis*: secundum *Tauricam* enim *Iphigeniam* (v. vss. 8, 176, 568 sqq., 779, 792 cet.) Graeci putabant, re vera mactatam esse in Aulide virginem: in *Aulidensi* vero (v. vss. 1595. sqq.), id certe sciebant, cervam in eius locum fuisse substitutam, ipsam disparuisse (2). Sic in *Iph. Taur.* (vs. 548.), ut in *Electra* quoque (vs.

---

quid de Euripide dicam, qui omnia ad scenae usum adeo plerumque ornavit, aut excogitavit potius, ut novam prorsus neque ante auditam exprimeret fabularum veluti imaginem."

(1) Verba sunt Westrikii, *de Choëph.* p. 121., quem vide de iis, quae Euripides in *Electra* novavit.

(2) Modo haec ab Euripide profecta sint. » Illa enim fabula *Iphigenia Aulidensis* multis locis interpolata et mutilata, vix Euripidem auctorem habere, certe totus Fabulae finis, inde a vs. 1535 non esse Euripidis" videtur nonnullis viris doctis, ut Matthiaeo in adn. ad *Iph. A.* init. et ad vs. 1508: cf. Westrik. ll. p. 67. Quae tamen quaestio nondum diremta videtur: nuper certe dissertationem *de Eur. Iph. Aul. auctore* scripsisse Bartschium, cognovi ex *Zimmermanni Diar.* 1837. 151. f.

15. sqq.), praeter Iphigeniam sola *Electra* memoratur Agamemnonis filia: in *Oreste* contra (vs. 123.) tres nominantur, Chrysothemis, Iphigenia et Electra.

In primis vero ex Helenae historia apparebit hoc variandi studium Euripidis. In *Helena* enim et *Electra* (de qua mox videbimus,) novam, in reliquis vero fabulis vulgarem fere famam secutus est: etsi ex *Hecuba* quidem et *Troadibus*, in quibus Helena est inter captivas mulieres, nihil conficere licebit, quandoquidem Graeci, veram se recuperasse Helenam, putabant secundum eam etiam famam, quam in *Helena* fabula secutus est Euripides. In *Troadibus* autem quum satis saevus in Helenam fuisset Menelaus, eamque in Graecia poenas esse daturam, minatus esset (v. vs. 885.), secundum *Orestem* contra (v. vs. 56. sqq.), in Graeciam reversus mutavit sententiam, summam curam habens, ne quidquam mali illi accideret (cf. supra p. 23. sq.). Ex his vero ne quis conficiat, ex Euripidis mente pro falsa ista Helena veram interea recuperasse Menelaum. In *Oreste* enim vulgarem famam secutum esse Poëtam, apparet et ex verbis Phrygis, qui, quum Helena, mortem ipsi minitantibus Oreste et Pylade, disparuisset, haec profert (vs. 1515.):

Μενέλαος —
ἀνόνητον ἀπὸ Τροίας
ἔλαβε τὸν Ἑλένας γάμον.

et ex Menelai verbis de interfecta, ut putabat, Helena (vs. 1630.):

ὦ τλῆμον Ἑλένη —
σὲ σφάγιον ἐκόμισ᾽ ἐκ Φρυγῶν;

In *Electra* contra, quum per totam Fabulam Helenae vix meminerit Poëta, sic tamen, ut vulgarem sequi

videretur famam (v. vs. 1072. supra p. 22. adn. 3.), in fine tamen Fabulae plane *ἀπροςδοκήτως* Dioscuri (vss. 1289. sqq.):

Ἑλένη, inquiunt, *Πρωτέως — ἐκ δόμων*
ἥκει, λιποῦσ᾽ Αἴγυπτον, οὐδ᾽ ἦλθε Φρύγας.
Ζεὺς δ᾽, ὡς ἔρις γένοιτο καὶ φόνος βροτῶν,
εἴδωλον Ἑλένης ἐξέπεμψ᾽ εἰς Ἴλιον.

Quae fama plane convenit cum ea, quam in *Helena* prodidit Poëta, cuius vero in nulla alia tragoedia meminit. Hinc coniecturam capiens, quum nihil de tempore actae *Electrae* constet, non ita diu post *Helenam* actam esse, existimo, hanc Fabulam; ita ut, quam nuper Poëta in scenam protulisset de Helena famam *παράδοξον*, his in *Electra* versibus voluerit defendere et in auditorum revocare memoriam.

At vero rationes protulisse video Zirndorferum in *Chronologia fabb. Euripid.* p. 63. sqq., quibus ostendat, actam esse *Electram* Olymp. 92. 2. i. e. sex annis ante *Helenam*: eius tamen argumenta non sunt tam firma, ut mihi persuadeant. Quod enim attinet ad regulam illam, cuius auctor est magnus Hermannus, »quamque fabulam eo recentiorem esse, quo maior sit numerus solutionum longarum syllabarum, quoque frequentior usus anapaesti in senariis et octonariis," — speciose quidem ille inde conficit annum, quo quaeque acta sit fabula, neque equidem impugnabo regulam: verum tamen, »cum grano salis," ut ipse dicit Zirndorferus in Praef. p. VI., eius modi utendum est argumentis. Licet enim eo maior fieret solutionum numerus, quo ipsi negligentiores sensim sensimque fierent poëtae; potuit tamen, nisi fallor, idem poëta aliquando minus esse negligens, adeoque minorem in versibus

incuriam admittere, quam in priori admiserat fabula. Praeterea, maior ille solutionum numerus pendebat, puto, non tantum a poëtarum incuria, sed saepe etiam a fortuito vocabulorum usu fortuitaque positione pro cuiusque fabulae diversa ratione et argumento; ita ut, in diversis fabulis, eodem tempore actis, diversum tamen esse potuisse, existimem, solutionum numerum; quin etiam in posteriori fabula nonnunquam minorem, quam in priori, numerum fuisse, mihi habeam persuasum. Huius rei ipse auctor affert exemplum in *Medea* et *Hippolyto*; quae utraque Fabula quum acta sit Ol. 87., in *Medea* tamen 72 circiter, in *Hippolyto* 49 tantum esse solutiones, affirmat: quod ita quidem defendit V. D. (p. 23. adn. 2.), ut dicat »etiam si in *Medea* solutionum numerus in aliquanto (?) maior sit, eandem tamen rationem manere, quum in *Medea* aliquanto maiorem versuum numerum, quam in *Hippolyto* habeamus." Nescio equidem numerum versuum iambicorum et octonariorum; bona autem fide dictum hoc esse licet confidam, nonne tamen, acta quum sit *Hippolytus*, eâdem quidem Olympiade, tribus vero annis post *Medeam*, iure aequalem certe solutionum numerum exspectes? — Neque caetera viri docti argumenta admodum firma sunt, ut illud de una eademque duplici actione, altera felicis, altera infelicis exitus, tota autem felicis, quam in *Electra* observare sibi videtur auctor. — Quos autem versus ad res nuper gestas pertinere existimat Zirndorferus, iisdem aliisque (1) adducitur Bergkius (v. Welck. in *Addit.*

(1) Quod in *Electra* observavit Bergkius ll. »quae de vanitate vatum in hac Fabula prodita sint, ea spectare ad res nuper gestas"; idem in *Helena* factum esse, ipse monuit Zirndorferus p. 76. coll. vss. 761 sqq.

ad *Gr. Tr.* p. 1587.), ut doctam esse *Electram* existimet Ol. 91. 4. i. e. eodem, quo *Helena*, anno: quâ Bergkii sententiâ nostra plane confirmatur suspicio, Euripidem *Electram* docuisse paullo post *Helenam* actam.

§ 3. Munita hac disputandi via, facile erit perspicere, quosnam Euripides in hoc de Helena mytho celebrando auctores secutus sit, et quo modo superiorum traditiones in suum usum verterit Poëta. Argumento igitur *Helenae* fabulae praemisso quam brevissimo, paucis, et quid ex illis hauserit Poëta, subiiciemus, et quid ex aliis nonnullis mutuaverit ad suam adornandam Fabulam. — In argumento autem enarrando non attendemus ad Fabulae oeconomiam, affectumve qui dicitur tragicum (1), sed ea tantum recensebimus, quae ad nostram causam pertinent.

— »*Προλογίζει* Helena, suaque enarrat fata, quae huc fere redeunt: Iuno, Venus et Minerva, de pulchritudine certantes, arbitrum sibi constituunt Paridem: vincit Venus, Helena uxore promissa Paridi: hanc petiturus Spartam proficiscitur Paris, neque tamen ipsam, sed Iunonis fraude *εἴδωλον ἔμπνουν*, Helenae simillimum, secum asportat. Hinc ortum bellum Troianum et ex Iovis consilio, ut onere mortalium levaret Terram matrem. Helena ipsa ab Mercurio nubi inclusa transfertur in Aegyptum, traditurque Proteo regi, omnium mortalium continentissimo, castum ut Menelao servaretur connubium. Mortuo autem Proteo, Helenae

(1) Multa de huius Fabulae Euripideae oeconomia disputata sunt a VV. DD., in diversa omnia abeuntibus: v. Pflugk. proöem. ad *Hel.* p. 9. sq., Hermann. praef. p. XIV., Firnhaber. *Zimmerm. Diar.* 1839. init.

connubium appetit filius Protei Theoclymenus, cui ut se subtrahat ipsa, supplex ad Protei tumulum accedit, in anteriore scena conspicuum. — Has res postquam Helena exposuit, prodit Teucer, qui, a Telamone patre expulsus, quod sine Aiace fratre Salamina rediisset, novam conditurus patriam, de itinere, quo ipsi Cyprum proficiscendum sit, consulere cupit Theonoam, filiam Protei fatidicam: infecta tamen re abit. Ex eo comperit Helena, captam esse Troiam, Menelaum vero, uxore recuperata, in Graeciam nondum esse reversum, mortuumque haberi; mortuam esse matrem, mortuos fratres: inde Helenae querela et Chori, qui est ex captivis virginibus Spartanis: huic obtemperans Helena, Theonoae petit aedes, certiora de Menelai sorte doceri cupiens. — In scenam iam vacuam ipse prodit Menelaus, naufragus, squalida indutus veste, miserrimo adspectu; Helenâ, quam putabat, sociisque in antro prope litus relictis, ipse victum quaesiturus, aedes pultat regias; repellitur ab anu ianitrice, ex qua comperit, Theoclymenum regem interficere, quemcumque prehendat Graecum hominem, propterea quod Helenam Tyndaridem, domi detinens, uxorem ducere gestiat. His auditis conturbatus Menelaus, exspectare tamen ipsum regem constituit. — Revertitur Chorus cum Helena ex aedibus Theonoae, quae, Menelaum, non mortuum, mox esse adventurum, ipsis aperuerat. — Mox agnitio Menelai et Helenae; nuntio praesertim affirmante, uxorem, quam in antro reliquisset Menelaus, in aërem avolasse, confessam nihil se nisi εἴδωλον fuisse Helenae. — Hinc, Theonoae ope impetrata, fugam parant, hanc excogitantes fraudem: vestibus Helena induta lugubribus, crinibus

tonsis, persuadet Theoclymeno, a venatione redeunti, periisse Menelaum; cuius rei testis quum adsit Graecus naufragus in Protei tumulo assidens (ipse nempe Menelaus), nuptias se nunc quidem non amplius recusare, modo iusto antea sepulturae honore ipsa affecerit mortuum maritum, secundum Graecorum mores. — Poscunt igitur navem, poscunt alia, quibus in mari cenotaphii honore afficiant Menelaum, in mari qui perierit. — His impetratis, altum petunt et, multis Aegyptiis qui una navigarant necatis, aufugiunt. — Theoclymenus, his auditis, sororem, quae haec ipsum celaverit, interficere quum parat, apparent Dioscuri, Helenae fratres, et fabula feliciter explicit." —

Haec fere summa Fabulae Euripideae: in qua cum alia fortasse ex Stesichori Palinodia sumsit Poëta, de quibus supra (p. 34 sqq.) diximus, tum, disertis si nitendum est testimoniis, famam illam de Helenae simulacro a Paride Troiam ablato, de quo pugnaverint Graeci et Troiani: quam ita cum Herodoti narratione coniunxit, ut ipse a Mercurio in Aegyptum translatam Helenam finxerit; ex Herodoto autem sumserit, Proteum, dum pugnaretur ante Troiam, in Aegypto asservasse Helenam, quam redderet Menelao: quam Herodoti rursus narrationem ita variavit, ut, Proteo mortuo, Theoclymenum uxorem petiisse Helenam, Menelaum clam eam abduxisse, alia, ipse invenerit ad Fabulae oeconomiam recte instituendam. — Singula etiam videamus, in quibus Herodoti narratione usus esse videtur Tragicus. In ipsa iam scenae dispositione, in qua conspicuae erant aedes regiae Protei, magnifice exstructae (v. vss. 68 sqq., 449 sqq.), sepulchrum Protei (vs. 64. al.) ad quod, ipsi asylum, per totam

fere Fabulam assidet Helena; — in his Euripides ante oculos habuisse videtur verba Herodoti (II. 112) »Memphi Protei esse τέμενος κάρτα καλόν τε καὶ εὖ ἐσκευασμένον, — ἔστι δὲ ἐν τῷ τεμένεϊ τοῦ Πρωτέος ἱρὸν, τὸ καλέεται ξείνης Ἀφροδίτης· συμβάλλομαι δὲ τοῦτο τὸ ἱρὸν εἶναι Ἑλένης τῆς Τυνδάρεω." — Deinde quod ab Euripide Proteus fingitur omnium mortalium continentissimus (vs. 47) et iustus (vs. 958. al.), quo vivo Helena ἄσυλος ἦν γάμων (vs. 61), qui in animo habebat Helenam σώζειν πόσει, donec ipse adveniret κἀπολάζεσθαι θέλει (vs. 927): in his quoque Poëta secutus est Herodotum, cuius Proteus περὶ πολλοῦ, ἡγῆμαι, inquit, μὴ ξεινοκτονέειν, et mox, ἐγὼ τῷ Ἕλληνι ξείνῳ φυλάξω, ἐς ὃ ἂν αὐτὸς ἐλθὼν ἐκεῖνος ἀπαγαγέσθαι ἐθέλῃ (c. 115. f.). — Recte vero mortuum Proteum finxit Euripides: cui enim Iupiter (vs. 47.),

πάντων προκρίνας σωφρονέστατον βροτῶν,

Helenam dederat asservandam, ille sine dubio reddidisset Menelao repetenti, ut ipsa Theonoa filia confitetur (vs. 1028.)

— — κεῖνος γὰρ ἂν βλέπων
ἀπέδωκεν ἄν σοι τήνδ' ἔχειν, ταύτῃ δὲ σέ.

quemadmodum apud Herodotum (c. 119.) Menelaus a Proteo καὶ ξεινίων ἤντησε μεγάλων, καὶ Ἑλένην ἀπάθεα κακῶν ἀπέλαβεν. Nisi igitur Proteum mortuum finxisset Poëta, nullum periculum in Fabula fuisset, nullus metus, nulla exspectatio, nullus denique tragoediae locus. Ingeniose ergo, ut affectui consuleret tragico, et mortuum finxit Proteum, et ei substituit Theocly-

menum, filium impium (1), qui Helenae connubium appetens, cum ipsam ad summam redigeret anxietatem consiliique inopiam, tum Menelao summum pareret periculum (vs. 155.):

κτείνει γὰρ Ἕλλην' ὄντιν' ἂν λάβῃ ξένον.

ita ut ipsa Helena de salute desperans, ad maritum dicat (vs. 795.)

— ἐνθάδ' ἦλθες εἰς σφαγάς.

Menelaum autem, multis indigenarum necatis, aufugisse (in fine Fab.), ea quoque videntur hausta esse ex Herodoti narratione (c. 119.): *Μενέλαος ἐπιτεχνᾶται πρῆγμα οὐκ ὅσιον· λαβὼν γὰρ δύο παιδία ἀνδρῶν ἐπιχωρίων, ἔντομά σφεα ἐποίησε — μισηθείς τε καὶ διωκόμενος οἴχετο φεύγων τῇσι νηυσὶ κ. τ. λ.*

Teucri personam, nescio, unde sumserit Euripides, facileque eam, ut arbitror, omittere potuisset: satis enim ille frigide initio Fabulae prodit in scenam, Helenae scilicet, quid ex Troia, quid ex Graecia novi, expositurus; ipse nihil impetrans eorum, quorum causa venerat, abit. — Dicam, quid mihi evenerit legenti verba Herodotea (II. 114.) "*Ἥκει ξεῖνος — γένος μὲν Τεῦκρος*: ultro mihi in mentem venit Teucri illius Euripidei, qui, in Aegyptum vixdum appulsus, re infecta decedit, plane ut ille »genere Teucer" apud Herodotum, qui ita misere relinquere Aegyptum intra triduum a Proteo rege iubetur. Quid quod Euripi-

---

(1) Nomen Theoclymeni occurrit ap. Hom. *Odyss.* XV. 256. — Famam de impiis in Thracia Protei filiis habet Eustathius ad *Odyss.* IV. p. 172. *τῷ Πρωτεῖ παῖδες μὲν ἦσαν κακόξενοι καὶ τῷ πατρὶ δυςπειθεῖς*, eosdemque *ξενοκτόνους* fuisse dicit in Dionys. Perieg. v. 259; v. Potter. in Lycophr. *Cassandr.* vs. 115.

des, — idoneam sibi quaerens personam, quae Helenam rerum interim in Graecia Troiaeque gestarum faceret certiorem, quam in reliqua tamen Fabula posset omittere, — his ipsis Herodoti verbis fuit adductus, ut, Teucri nomine arrepto, verum Teucrum in suum adhiberet usum? Debilis, confiteor, coniectura: atque haud scio equidem, an fortasse in Teucri hoc fuerit fatis, eum eo itinere, quo novam peteret Salamina, venisse in Aegyptum: Teucer certe argumentum satis celebratum tragicis, Aeschylo (1), Sophocli (2), aliis.

Praeter Stesichorum autem et Herodotum, ex quibus ipsum suae *Helenae* mythum petiit Euripides, alios etiam in transitu, ut fit, in hac Fabula adornanda adhibuit Poëta. — Ex Homero Idotheae (3) non tantum nomen sumsit, sed etiam, Menelaum, in summo discrimine versantem, Idotheae impetrasse opem, dolosque invenisse, quibus in patriam posset redire; plane ut Menelaus ille Homericus, qui se periturum fuisse dicit (*Odyss.* IV. 364.)

εἰ μή τίς με θεῶν ὀλοφύρατο καί μ' ἐσάωσεν
Πρωτέος ἰφθίμου θυγάτηρ, ἁλίοιο γέροντος,
Εἰδοθέη· τῇ γάρ ῥα μάλιστά γε θυμὸν ὄρινα.

Fatidicam praeterea Idotheam finxit Poëta, vel ex Menelai ad ipsam verbis in *Odyssea* ll. 379.

ἀλλὰ σύ πέρ μοι εἰπὲ — θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν —

---

(1) V. G. Hermann. *De Aeschyli tragoediis fata Aiacis et Teucri complexis.* 1838.

(2) De Sophoclis *Teucro* v. Welck. *Gr. Tr.* p. 191. sqq.

(3) Egregie enim *Εἰδώ*, quod pro *Εἰδοθέα* dictum sit, restituisse Matthiaeum in Eurip. *Helen.* vs. 11, monuit Hermannus. — Sic Aeschylus etiam, teste Schol. antiq. (ed. Buttm.) ad *Odyss.* IV. 366. *καὶ Αἴσχυλος δὲ ἐν Πρωτεῖ Εἰδοθέαν αὐτὴν καλεῖ.*

vel Protei vatis apud Homerum partes transtulit in filiam. — Ab eodem mutuatus est Euripides Menelai naufragi in Aegyptum adventum, nisi mavis, *Νόστων* narrationem ei obversatam esse: v. supra p. 14.

Cypriis etiam carminibus multa debuit Euripides, ut initio Fabulae (vs. 23. sqq., cl. vs. 725.) trium Divarum certamen Paridisque iudicium; in illis nempe talia legebantur (sec. Proclum): *Ζεὺς βουλεύεται μετὰ τῆς Θέμιδος περὶ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου· παραγενομένη δὲ Ἔρις εὐωχουμένων θεῶν ἐν τοῖς Πηλέως γάμοις νεῖκος περὶ κάλλους ἐνίστησιν Ἀθηνᾷ, Ἥρᾳ καὶ Ἀφροδίτῃ, αἳ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐν Ἴδῃ κατὰ Διὸς προσταγὴν ὑφ' Ἑρμοῦ πρὸς τὴν κρίσιν ἄγονται καὶ προκρίνει τὴν Ἀφροδίτην ἐπαρθεὶς τοῖς Ἑλένης γάμοις ὁ Ἀλέξανδρος κ. τ. λ.* (1). Similia saepius Euripides, ut in *Iphig. Aul.* vs. 1279. sqq., *Androm.* vs. 277. sqq., *Troad.* vs. 930. sqq.; quo postremo loco Helena dona enumerat, quae singulae Deae Paridi promiserant; quod nescio, an ipse invenerit Poëta. — Ex iisdem carminibus (2) hausti sunt versus sqq. (*Helen.* vs. 38.)

— — *τὰ δ' αὖ Διὸς*
βουλεύματ' ἄλλα τοῖςδε συμβαίνει κακοῖς·
πόλεμον γὰρ εἰςήνεγκεν Ἑλλήνων χθονὶ
καὶ Φρυξὶ δυστήνοισιν. ὡς ὄχλου βροτῶν
πλήθους τε κουφίσειε μητέρα χθόνα.

---

(1) Eiusdem rei iam meminerat Homerus *Iliad.* XXIV. 28; quem tamen locum spurium iudicarunt Aristarchus, aliique (v. Pflugk. proöem. ad Eur. *Helen.* p. 5), a quibus dissentit Henrichsen. *De carm. Cypr.* p. 102. ann.

(2) Cypriorum versus v. ap. Schol. ad *Iliad.* I. 5., quos valde corruptos restituere conati sunt Pflugk. ll., Henrichsen. ll. p. 35. sqq., Hermannus ad *Helen.* ll., alii.

cf. Eurip. *Orest.* vs. 1657. sqq.

ἐπεὶ θεοὶ τῷ τῆςδε καλλιστεύματι
Ἕλληνας εἰς ἓν καὶ Φρύγας ξυνήγαγον
θανάτους τ' ἔθηκαν, ὡς ἀπαντλοῖεν χθονὸς
ὕβρισμα θνητῶν, ἀφθόνου πληρώματος (1).

et *Electra* vs. 1291.

Ζεὺς δ', ὡς ἔρις γένοιτο καὶ φόνος βροτῶν,
εἴδωλον Ἑλένης ἐξέπεμψ' εἰς Ἴλιον.

ubi Camperi non necessaria est coniectura legentis *βροτοῖς*, ut haec sit sententia: *Ζεὺς εἴδωλον Ἑλ. ἐξέπεμψ' εἰς Ἴλ., ὡς γένοιτο τοῦτο τὸ εἴδ. ἔριδος καὶ φόνου αἴτιον τοῖς βροτοῖς.* — Ad eandem sententiam spectare videtur Eurip. *Androm.* vs. 681.

Ἑλένη δ' ἐμόχθησ' οὐχ ἑκοῦσ' ἀλλ' ἐκ θεῶν.

et, quod habet Strabo (p. 183. D. ed. Cas.) e deperdito dramate, fragmentum:

Ζεὺς γὰρ κακὸν μὲν Τρωσί, πῆμα δ' Ἑλλάδι
θέλων γενέσθαι, τάδ' ἐβούλευσεν πατήρ.

ubi metri causa legendum videtur *τάδ' ἐπεβούλευσεν*; cognitum enim est, saepissime librarios verba composita praepositionibus truncavisse: *ταῦτ'* pro *τάδ'* coniecit Welckerus *Gr. Tr.* p. 465, qui hos versus Cassandrae tribuit in Euripidis *Alexandro.* — Aliam de belli Troiani causa sententiam et »Deo minus indignam"

---

(1) Huc respiciunt Valckenaerii verba ad *Herod.* II. 120: »Euripidis studiosissimo Chrysippo non displicuit illa ratio, cuius e lib. III. *de Diis* verba quaedam exhibet Plut. II. p. 1049. B. *καὶ τὸν Εὐριπίδην μάρτυρα καὶ τοὺς ἄλλους προςάγεται, τοὺς λέγοντας, ὡς ὁ Τρωϊκὸς πόλεμος ὑπὸ τῶν θεῶν ἀπαντλήσεως ἕνεκα τοῦ πλήθους τῶν ἀνθρώπων γένοιτο.*

(ut ait Valck. ad h. l.) prodit Herodotus II. 120: *ὡς μὲν ἐγὼ γνώμην ἀποφαίνομαι, τοῦ δαιμονίου παρασκευάζοντος, ὅκως πανωλεθρίῃ ἀπολόμενοι καταφανὲς τοῦτο τοῖσι ἀνθρώποισι ποιήσωσι, ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τῶν θεῶν*: aliam rursus Euripides ipsis illis versibus ex *Helena* modo laudatis subiicit sententiam:

γνωτόν τε θείη τὸν κράτιστον Ἑλλάδος.

Caeterum, singulos fontes variasque famas, quas obiter in suam causam vertit Euripides, (ut de Helenae natalibus, liberis, de reliquaque eius historia, de Dioscuris (1), cet.) alii uberrime ante nos exploraverunt.

§ 4. Non absonum autem videtur locos subiicere nonnullos, ad hunc de Helena mythum pertinentes, qui vel ex Herodoti narratione, vel ex Euripidis *Helena* hausti sunt, vel ex utroque confusi videntur.

Minus huc pertinent, qui Homeri respexerunt locum (*Od.*IV.227 et 351. sqq.), quo Helena Spartam revertens cum Menelao in Aegyptum venisse dicitur: v. c. Athenaeus (V. 191), »Helena *παρὰ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ σοφῶν μεμαθηκυῖα πολλοὺς λόγους — εἰς τὸν οἶνον ἐμβάλλει πανακὲς τῷ ὄντι φάρμακον*«; Ael. Aristides (vol. II. p. 482. Dind.) de Homero, *οἶδε καὶ αὐτός που τὸν Μενελάου σὺν Ἑλένῃ πλοῦν εἰς Αἴγυπτον*, alii; quos omnes recensere et longum est, et vix operae pretium: addo tamen locum Iustini Martyris (2), qui viros

(1) Quam famam de Dioscuris secutus sit Euripides in hac Fabula, monet Henrichsen. ll. p. 40. — De caeteris consuli inprimis merentur intpp. ad Hygin., Apollodor., Meziriac. ad Ovid. *Heroid.*

(2) P. 104. Ed. Oxon. 1703., cuius loci mihi copiam fecit amicus huius Academiae civis van der Weyde.

doctos fortasse fugit, in *Cohortatione ad Graecos*, ubi, Homerum multa ex prophetis scilicet in sua carmina retulisse, probare studens, ipsum quoque in Aegypto fuisse (ex Diodoro Sic. *Bibl. Hist.* vol. I. p. 109. Wessel.) narrat: *ἔφη γάρ* (Diod.) *αὐτὸν ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενον μεμαθηκέναι, ὅτι τὸ νηπενθὲς ἄχολόν τε καὶ κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων φάρμακον ἡ Ἑλένη λαβοῦσα παρὰ τῆς Θέωνος γυναικὸς Πολυδάμνας εἰς τὴν Σπάρτην ἐκόμισε· κἀκείνῳ τῷ φαρμάκῳ ἔφη Ὅμηρος χρησαμένην τὴν Ἑλένην, παῦσαι τὸν ἐν τῇ παρουσίᾳ Τηλεμάχου παρὰ Μενελάου γενόμενον θρῆνον. καὶ χρυσῆν δὲ Ἀφροδίτην ὠνόμασεν ἐκ τῆς ἐν Αἰγύπτῳ ἱστορίας· ἔγνω γὰρ καὶ τέμενος χρυσῆς Ἀφροδίτης* (1) *ἐν Αἰγύπτῳ λεγόμενον, καὶ πεδίον χρυσῆς Ἀφρ. ὀνομαζόμενον.*

Stesichori autem *Palinodiae* qui meminerunt (quos tamen omnes ex Platone hausisse, Geelius probavit,) partim a Kleinio, partim a Welckero citati sunt, partim nos attulimus, ubi de Stesichoro egimus.

Herodoti narrationem plurimi in suum usum verterunt: ad eum, vel etiam ad Homerum respiciens Strabo, talia de Menelai in Aegypto commoratione disputat (I. p. 40 ed. Cas.): *Εἰς οὖν τὴν Αἰθιοπίαν ἀφῖχθαι λέγεται ὁ Μενέλαος, οὐχ ὅτι εἰς τὴν Αἰθιοπίαν τῷ ὄντι ἀφῖκτο, ἀλλ' ὅτι μέχρι τῶν ὅρων τῶν πρὸς Αἰγύπτῳ· τάχα μὲν γὰρ καὶ πλησιαίτεροι ἦσαν ταῖς Θήβαις οἱ τότε ὅροι. — Ὁ οὖν εἰς Θήβας ἀφιγμένος, εἰ καὶ μέχρι τῶν ὅρων ἀφῖκτο — οὐδὲν ἄλογον. — Καὶ ὁ Μενέλαος οὖν οὕτως εἰς Αἰθιοπίαν ἧκεν, οὕτω δὲ καὶ ἐς Λιβύην* (cf.

---

(1) Herodotus contra *ἱρὸν Ξείνης Ἀφροδίτης* in Aegypto esse narraverat.

Herod. II. 119.), ὅτι πρόςεσχε τόποις τισίν. ἀφ' οὗ καὶ ὁ κατὰ τὴν Ἀρδανίαν λιμὴν τὴν ὑπὲρ Παραιτονίου, *Μενέλαος* καλεῖται. (cf. Strab. XVII et *Μενελαΐτης* νομός apud Eustathium, supra p. 12). — Certius est ex Herodoto hausisse Philostratum, qui, Homereae narrationi ut fidem detrahat, unice studens (1), in *Heroic.* II. 20. (p. 693. f. ed. Olear.) haec habet: »Μέμφεται δὲ (Protesilaus) τοῦ Ὁμήρου ἐκεῖνα — — ὅτι σαφῶς γινώσκων (2), ὡς ἐν *Αἰγύπτῳ* ἡ Ἑλένη ἐγένετο, ἀπενεχθεῖσα ὑπὸ ἀνέμων ὁμοῦ τῷ Πάριδι, ὁ δὲ ἄγει αὐτὴν ἐπὶ τὸ τοῦ Ἰλίου τεῖχος — (p. 694.) ἐπαινουμένου δὲ οὔτε ἐν αὐτῇ τῇ Τροίᾳ Πάριδος ἐπὶ τῇ ἁρπαγῇ τῆς Ἑλένης, οὔτ' ἂν Ἕκτορα τὸν σωφρονέστατον καρτερῆσαι φησὶ — τὸ μὴ οὐκ *ἀποδοῦναι* αὐτὴν τῷ Μενέλεῳ, *ἐν Ἰλίῳ* οὖσαν, neque Priamum, tot sibi liberis pereuntibus, concessurum fuisse Paridi, ut voluptati indulgeret (3). Cf. *Heroic.* XIX. (p. 745. f. Ol.): »Achilles et Helena μηδὲ ὀφθέντες ἀλλήλοις, ἀλλ' ἡ μὲν κατ' *Αἴγυπτον*, ὁ δὲ ἐν Ἰλίῳ ὄντες, mutuo capti amore quum essent, Thetis a Neptuno impetravit, ut insula pura *Leuce* iis crearetur in Ponto Euxino." (cf. supra p. 28). Similia prostant in *Vit. Apollon.*

---

(1) De Philostrato *ὁμηρομάστιγι* v. quae passim dixit Olearius in Praef.

(2) Herodotus II. 116. modestius: δοκέει δέ μοι καὶ Ὅμηρος τὸν λόγον τοῦτον πυθέσθαι· — κατὰ γὰρ ἐποίησε — πλάνην Ἀλεξάνδρου, ὡς ἀπηνείχθη ἄγων Ἑλένην κ. τ. λ.

(3) Herod. II. 120.: εἰ ἦν Ἑλένη ἐν Ἰλίῳ, ἀποδοθῆναι ἂν αὐτὴν, ἤτοι ἑκόντος γε ἢ ἀέκοντος Ἀλεξάνδρου. οὐ γὰρ δὴ οὕτω γε φρενοβλαβὴς ἦν ὁ Πρίαμος, — ὥςτε — κινδυνεύειν ἐβούλοντο, ὅκως Ἀλέξανδρος Ἑλένῃ συνοικέῃ. — αὐτοῦ δὲ Πριάμου οὐκ ἔστι ὅτε οὐ δύο, ἢ τρεῖς ἢ καὶ ἔτι πλείους τῶν παίδων — ἀπέθνησκον κ. τ. λ.

Tyan. l. IV. c. 16. ubi Apollonio interroganti: *ἡ Ἑλένη, ὦ Ἀχιλλεῦ, ἐς Τροίαν ἦλθεν, ἢ Ὁμήρῳ ἔδοξεν ὑποθέσθαι ταῦτα;* Achilles respondet: *πολὺν χρόνον ἐξηπατώμεθα — — ὡς ἐν τῷ Ἰλίῳ οὔσης. ἡδ' Αἴγυπτόν τε ᾤκει καὶ τὸν Πρωτέως οἶκον, ἁρπασθεῖσα ὑπὸ τοῦ Πάριδος. ἐπεὶ δὲ ἐπιστεύθη τοῦτο, ὑπὲρ αὐτῆς τῆς Τροίας λοιπὸν ἐμαχόμεθα, ὡς μὴ αἰσχρῶς ἀπέλθοιμεν* (1); et lib. VII. 22. (p. 302. Ol.) — *εἴπερ ἐς Αἴγυπτόν τε ἦλθε καὶ ὡμίλησε τῷ Πρωτεῖ* (2), *κ. τ. λ.* Viden ut Herodotea in suam rem adhibuerit Philostratus, singulasque saepe expresserit sententias?

Idem fecit et accuratius nonnunquam etiam singula Herodoti verba reddidit Libanius, quod ipse in fine Praefationis »haud ingratus agnoscit" (3), in *Ulyssis λόγῳ πρεσβευτικῷ πρὸς Τρῶας ὑπὲρ Ἑλένης*, quam orationem ab Ulysse habitam fingit ad Helenam repetendam (4). Ex ipso Herodoti Historiarum initio memorat, »mutuos barbarorum et Graecorum fuisse raptus Ionis, Europae, Medeae" (v. p. 208. ed. Morell.); et deinde Ulysses iisdem atque Herodotus utitur argumentis; ille quidem, ut Troianis, reddendam esse Helenam, persuadeat; hic vero ut probet, Troianos eam fuisse reddituros, si habuissent. Attendas v. c. ad haec (p. 220. D.) *νῦν γὰρ οὔτ' Ἀλέξανδρος — κρατεῖ τῶν ὑμετέρων πραγμάτων, ἀλλὰ Πρίαμος αὐτός. — ζῶντος μὲν καὶ ὄντος Πριάμου — τελευ-*

---

(1) Paullo aliter Herod. II. 118. *οἱ δὲ Ἕλληνες, καταγελᾶσθαι δοκέοντες ὑπ' αὐτῶν, οὕτω δὴ ἐπολιόρκεον, ἐς ὃ ἐξεῖλον· ἑλοῦσι δὲ τὸ τεῖχος — οὐκ ἐφαίνετο ἡ Ἑλένη.*

(2) V. Herod. II. 112. — *ἐδιαιτήθη Ἑλένη παρὰ Πρωτέϊ.*

(3) V. Wesseling. *Diss. Herod.* p. 47.

(4) *ἀπαιτέειν Ἑλένην* apud Herod.; v. supra p. 53.

τήσαντος δὲ Ἕκτωρ. Et mox: *οἶδα δὲ ὡς εἰ καὶ Πρίαμος οἷα, ἅπερ Ἀλέξανδρος, ἠσέλγαινεν κ. τ. λ.* (1).

Dio etiam Chrysostomus in *Orat.* XI. tum alia hausit ex Herodoto, tum quod se ab sacerdote Aegyptio Helenae historiam accepisse dicit, (p. 46. ed. Rhodom.) *ὡς ἐπυθόμην παρὰ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἱερέων ἑνὸς, εὖ μάλα λέγοντος ἐν τῷ ὄνυχι,* quae postrema tamen ipse addidit: sic nimirum orationi suae *ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι* veritatis speciem conciliare studebat. — Aliam vero, atque Herodotus, de Helena famam ex sacerdote isto, ipsum Menelaum narravisse affirmante, accepit, nempe: Paridem in Helenae procis fuisse, eamque legitimam a Tyndareo accepisse uxorem: quod aegre ferentes Graecos, bellum Troianis intulisse, infelici sibi eventu; Menelaum omnino non rediisse in patriam, sed in Aegypto mansisse (2). Porro ex Euripidis *Helena:* (p. 130. Rh.) *οἱ δέ φασιν, ὅτι καὶ τὴν Ἑλένην ἐκεῖθεν ἔλαβεν — τέως δὲ ἐλάνθανεν εἴδωλον ἐκ τῆς Τροίας ἔχων, ὅ, τε πόλεμος συνεστήκει περὶ εἰδώλου τὰ δέκα ἔτη* (3). Cf. (p. 48. Rh., fr.

---

(1) Cf. Herod. II. 120.: *οὐ μὲν οὐδὲ ἡ βασιληΐη ἐς Ἀλέξανδρον περιήϊε, ὥστε, γέροντος Πριάμου ἐόντος, ἐπ' ἐκείνῳ τὰ πρήγματα εἶναι· ἀλλὰ Ἕκτωρ ἔμελλε αὐτὴν Πριάμου ἀποθανόντος παραλάμψεσθαι·* et quod paullo superius in eod. cap. dixerat: *εἰ καὶ αὐτὸς Πρίαμος συνοίκεε Ἑλένῃ κ. τ. λ.*

(2) Hoc ut probet, iisdem Dion (p. 130. Rh.) utitur argumentis, quibus Apion apud Eustathium ad *Odyss.* IV. 561. sqq., et *νομὸν ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον* in Aegypto esse dicens, et Homerum hanc famam cognitam habuisse conficiens ex eius verbis *Ἠλύσιον πεδίον.* Apion, puto, hausit ex Dione. Cf. supra diss. m. p. 12.

(3) Ad Euripidis *Orestem* respicit in sqq. *τὴν γὰρ Ἑλένην ἐπιβουλευθῆναι μὲν ὑπὸ Ὀρέστου λέγει τὶς τῶν Τραγῳδιοποιῶν εὐθὺς*

45. 4. Klein.) *καὶ τὸν μὲν Στησίχορον — ἄλλοι δέ τινες, ὡς ἁρπασθείη μὲν Ἑλένη ὑπὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου, δεῦρο δὲ παρ' ἡμᾶς εἰς Αἴγυπτον ἀφίκετο*: quibus ad Herodotum respicit.

Euripidem in hac de Helena fama celebranda Tragici nulli videntur esse secuti : quod tamen difficile est affirmare, paucissima quum supersint eorum fragmenta, et saepe nihil nisi fabularum tituli. Fuit Diogenis (Ol. 94.) *Helena*, drama fortasse satyricum (v. Welck. *Gr. Tr.* p. 1036.); fuit Timosithei *Ἑλ. ἀπαίτησις* (v. ibid. p. 1046.); de quibus nihil fere constat. — Theodectis quoque fuit *Helena*, cuius Fabulae hi supersunt versus (apud Arist. *Polit.* I. 2. 19.).

Θείων δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἔκγονον ῥιζωμάτων
τίς ἂν προςειπεῖν ἀξιώσειε λάτριν;

ex quibus conficit Welckerus (ll. p. 1074.), hanc Fabulam non pertinuisse ad Helenam in Aegypto versantem : in Aegypto enim non *λάτριν* fuisse Helenam. At vero similia de se ipsa profitetur Helena in Euripidis cognimini Fabula (vs. 282.)

δούλη καθέστηκ' οὖσ' ἐλευθέρων ἄπο·
τὰ βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα πλὴν ἑνός.

Illi igitur certe Theodectis versus non impediunt, quo minus Helenam in Aegypto versantem fecerit Poëta.

Ad Euripidem respicere etiam videtur Aristides in *Panathen.* (p. 212. Dind.) *τῶν ποιητῶν φασί τινες,*

ἐλθοῦσαν· γενέσθαι δὲ ἀφανῆ, τῶν ἀδελφῶν ἐπιφανέντων: nisi quod in *Oreste* non Dioscuros, sed Apollinem apparere dicit Poëta. Melius Tzetzes ad *Lycophr.* vs. 822, cf. infra p. 80.

τὸν Ἀλέξανδρον τῆς Ἑλένης τὸ εἴδωλον λαβεῖν, αὐτὴν δὲ οὐ δυνηθῆναι: recte autem *τινὰς τῶν ποιητῶν* haec habuisse dixit, Stesichorum simul intelligens, quem eadem cecinisse, conficere poterat ex Platonis *Phaedro* 243. A. et *de Rep.* IX. 586. C.; ex hoc enim alio etiam loco (*de Rhetor.* p. 72. Dind., fr. 45. 2. Klein.) hausit: *ὥςπερ οἱ Στησιχόρου Τρῶες οἱ τὸ τῆς Ἑλένης εἴδωλον ἔχοντες ὡς αὐτήν.* — Euripidis autem *Helenam* cognitam habuisse Aristidem, apparet ex eius *Aegyptio* (p. 442. Dind.) quo loco primos tres huius Fabulae affert versus.

Eandem Fabulam spectat Sextus Empiricus VII. *adv. Mathem.* p. 407. Fabr.: Menelaus *καταλιπὼν — ἐν τῇ νηῒ τὸ εἴδωλον Ἑλένης, ὅπερ ἀπὸ Τροίας ἐπήγετο ὡς Ἑλένην, καὶ ἐπιβὰς τῆς Φάρου νήσου, ὁρᾷ τὴν ἀληθῆ Ἑλένην κ. τ. λ.* et deinde p. 421. f. *καὶ ὅτε ἀπὸ Τροίας ὁ Μενέλαος ἀνακομισθεὶς ἑώρα τὴν ἀληθῆ Ἑλένην παρὰ τῷ Πρωτεῖ, καὶ καταλιπὼν ἐπὶ τῆς νεὼς τὸ ἐκείνης εἴδωλον, περὶ οὗ δεκαέτης συνέστη πόλεμος — — ὅτε Μενέλαος συνεώρα ὅτι ἀπολέλοιπεν ἐν τῇ νηῒ φυλαττομένην τὴν Ἑλένην. καὶ οὐκ ἀπίθανον μέν ἐστιν Ἑλένην μὴ εἶναι τὴν ἐπὶ τῆς Φάρου εὑρεθεῖσαν, φάντασμα δέ τι καὶ δαιμόνιον*, ubi v. quae annotavit Fabricius.

Famam de Helenae simulacro habet Lycophron quoque in *Alexandra*, ita tamen ut confudisse videatur Herodoti et Euripidis narrationes, fingens, Helenam a Paride quidem raptam, sed ipsi in Aegypto a Proteo ademtam, a quo *εἴδωλον* Helenae acceperit: cf. vss. 113—145, in primis:

κεῖνός (Proteus) *σε* (Paridem)
ἐπεςβολήσας λυγρὰ νοσφιεῖ γάμων.

et vs. 142.

> ἴξῃ χεροῖν εἴδωλον ἠγκαλισμένος
> τῆς πενταλέκτρου Helenae (1).

cf. vs. 820. sqq. de Menelao:

> ὁ δ' αἰνόλεκτρον ἁρπαγεῖσαν εὐνέτης
> πλᾶτιν ματεύων, κληδόνων πεπυσμένος,
> ποθῶν δὲ φάσμα πτηνὸν εἰς αἶθραν φυγὸν
> ποίους θαλάσσης οὐκ ἐρευνήσει μυχούς; κ. τ. λ.

Ad quem locum notabilis exstat annotatio in margine Cod. Paris. A. (ap. Bachmann. in edit. *Lycophr.* et *Anecd. Gr.* II. p. 247): *Πρῶτος Ἡσίοδος περὶ τῆς Ἑλένης τὸ εἴδωλον παρήγαγε· καὶ Ἡρόδοτος δὲ εἶπεν, ὅτι ἡ μὲν ἀληθινὴ Ἑλένη ἔμεινεν παρὰ Πρωτεῖ, τὸ δὲ εἴδωλον αὐτῆς συνέπλευσεν Ἀλεξάνδρῳ ἐπὶ τὴν Τροίαν:* cui tamen nullam fidem habendam esse in eo quod de Hesiodo dicere videtur, apparet ex sequentibus: ut enim in his Herodoti narrationem cum Euripidea confundit, sic in illis quoque, virisimile est, male eum Hesiodi nomen pro Stesichori usurpasse; nisi mavis, glossatorem corruptum locum transscripsisse aut ipsum corrupisse, ita ut olim scriptum fuerit, *Πρῶτος Στησίχορος* (2) *περὶ τῆς Ἑλένης λέγων* (3) *παρήγαγε τὸ εἴδ.*

Quemadmodum Lycophron, sic confuderunt multi: Tzetzes ad *Lycophron.* vs. 112. *ἁρπάξας* (Paris) *αὐτὴν, οὐκ εὐθὺς εἰς Τροίαν ἀπέπλευσεν, ἀλλὰ δοκῶν ὑπὸ τῶν*

---

(1) Huc respicit Scholiasta ad Eurip. *Andr.* vs. 229.

(2) Quod coniecit Goettlingius ad *Hesiod.* fragm. XXXIX; qui tamen, errore puto, pro *περὶ* habet *παρὰ Ἑλ.*; citat enim ex Bachm. *Anecd.* II.

(3) Quod vocabulum excidisse se coniicere, Geelius me monuit.

Λακεδαιμονίων διώκεσθαι (1), *πλεύσας εἰς Αἴγυπτον ἀφῃρέθη αὐτὴν ὑπὸ Πρωτέως. Ὁ δὲ ποιήσας εἴδωλον αὐτῆς, ὃ λαβὼν Ἀλέξανδρος ἀπῆρεν εἰς Τροίαν*: et ad vs. sq. (fr. 45. 1. Klein., v. Geel. in *Mus. Rh.* p. 14.) *λέγουσι γάρ, ὅτι διερχομένου Ἀλεξάνδρου δι' Αἰγύπτου ὁ Πρωτεὺς Ἑλένην ἀφελόμενος, εἴδωλον Ἑλένης αὐτῷ δέδωκε, καὶ οὕτως ἔπλευσεν εἰς Τροίαν. κ. τ. λ.* Porro ad vs. 142., *ἐν ταῖς χερσὶ κατέχων τὸ εἴδωλον τῆς Ἑλένης, ὁ Πρωτεύς σοι δοὺς τὴν Ἑλένην κατάσχῃ.* Ad vs. deinde 820. haec Tzetzes: *ὁ Λυκόφρων ἀκολουθῶν Ἡροδότῳ, τὴν Ἑλένην φησὶ μὴ ἐλθεῖν εἰς Τροίαν, ἀλλ' ἁρπαγεῖσαν ὑπὸ Ἀλεξάνδρου, ἀπελθεῖν μετ' αὐτοῦ εἰς Αἴγυπτον, ἔνθα Πρωτεὺς ἀφείλετο αὐτὴν ὑπ' Ἀλεξάνδρου. Πορθηθείσης δὲ τῆς Τροίας, καὶ μὴ εὑρεθείσης τῆς Ἑλένης ἐκεῖσε, τότε ὁ Μενέλαος ἐλθὼν πρὸς τὸν Πρωτέα, ἔλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ*: haec quidem habet Herodotus; ipse vero Lycophron, ut vidimus, alteram de Helenae simulacro addidit famam. Ad vs. denique 822: *τινές φασιν, ἐνταῦθα περὶ τοῦ εἰδώλου λέγειν τῆς Ἑλένης, τοῦ δοθέντος παρὰ τοῦ Πρωτέως τῷ Ἀλεξάνδρῳ ἀνθ' Ἑλένης αὐτῆς. Ἐγὼ δέ φημι, οὐ καλῶς αὐτοὺς λέγειν· οὐ γὰρ τὸ εἴδωλον, τὸ παρὰ Πρωτέως τῷ Ἀλεξάνδρῳ δοθέν, πέφευγεν εἰς τὸν αἰθέρα· ἀλλὰ περὶ τούτου φησὶ τοῦ συμβάντος ὕστερον τῇ Ἑλένῃ, ὡς Εὐριπίδης ἐν Ὀρέστῃ διδάσκει. — ἁρπάξας αὐτὴν Ἀπόλλων ἀνάγει τῷ Διΐ, καὶ φαίνεται Μενελάῳ καὶ Ὀρέστῃ, εἰδωλικῶς δεικνύων αὐτήν. — Καὶ ἐν τούτῳ δὲ ὁ Λυκόφρων ἀσαφείαν ἐργάζεται, τὰ ὕστερα τοῖς πρώτοις μιγνὺς, καὶ τὰ πρῶτα τοῖς ὑστέροις.* At ipse quoque Tzetzes *ἀσαφείαν* videtur *ἐργάζεσθαι*: neque enim Lycophron ad hanc verae

---

(1) Cf. supra p. 9.

Helenae historiam, quam in fine *Orestis* prodit Euripides, videtur allusisse: neque tenuit Tzetzes, quae narrat Euripides in *Helena* (vs. 625.) de Helenae *εἰδώλου* in coelum avolatione. Meursius quoque ad h. l. diversa confundit: »Helenam, inquit, iussu Iunonis in coelum abreptam narrat Euripides *'Ελένῃ*" (imo in hac Fabula Helenae simulacrum in coelum avolat), »et ex eo Theodoretus *Θεραπευτ.* Serm. III. *καὶ τὴν 'Ελένην δέ, μετὰ τὴν πολυθρύλλητον καὶ παμπόλλην μοιχείαν, τοῦ Μενέλεω χωρίσαντες, εἰς τὸν οὐρανὸν, ᾗ φησιν Εὐριπίδης, ἀνήγαγον:*" quae verba ex *Oreste* potius hausta sunt, ubi vera Helena in coelum tollitur post celebratam illam *μοιχείαν*.

Alii alia commenti sunt, ut Servius ad Virgil. *Aeneid.* I. 651: — »Unde factum est, ut Paris — ad regem Proteum veniret; qui cum esset sacrificus et agnovisset alienam uxorem a Paride raptam, duci eam dicitur subtraxisse, et, nescio quibus disciplinis, fantasma in similitudinem Helenae formatum Paridi dedisse (quod in *secundo* plenius invenies):" ad *Aeneid.* II. igitur vs. 592: — »adserunt enim ad Troiam Helenam non venisse, i. e. non visam a Troianis, quia cum eam rapuit Paris, ad Aegyptum profectus dicitur, mutato itineris cursu, ne a Graecis forsan insequentibus comprehenderetur, ibi a Proteo receptus hospitio. Sed cum Helena Proteo suam narrasset iniuriam, ab eo retenta est, tum sine ea Paris venit ad Troiam. Graeci autem putantes, quod occultaretur a Troianis, et nollent sibi eam reddere, deleverunt Troiam frustra, cum Troiani vere dicerent, se Helenam non vidisse (1).

(1) Hucusque ex Herodoto hausisse liquet sequentia mire confundit.

Alii dicunt, a Proteo quidem Paridi Helenam sublatam et quibusdam disciplinis, fantasma in similitudinem Helenae Paridi datam, quod etiam Homerum volunt tetigisse subtiliter, ubi Aeneas a Neptuno apposita nube liberatur (1):" et ad *Aen.* II. 601.: »Helenam legimus prius a Theseo raptam, et in Aegypto commendatam Proteo. (Alia fabula a Paride raptam, et cum ad Aegyptum cum eo isset, a Proteo, cognito raptu, subtractam Paridi dicit.)" Porro ad *Aen.* X. 92. aliam rursus habet historiam de Sparta a Paride expugnata: quibuscum conveniunt quae habet Lactantius ad Statii *Achill.* I. 21. et II. f. — Servius denique ad *Aen.* XI. 262. »Menelaus ad Aegyptum usque pervenit, ubi Proteus regnaverat: cui aliquando rapta a Theseo Helena dicitur commendata. Unde quidam dicunt, quod ad eam petendam Menelaus ad Aegyptum profectus sit post bella Troiana. Quidam volunt, nec raptam esse a Paride Helenam: sed aliam causam belli fuisse Troiani, illam scil. quod Herculem quaerentem Hylam suscipere noluerunt. Qui autem volunt eam raptam a Paride, hoc dicunt, quod recepta a Proteo, per Theseum ad Menelaum transitum fecerit et sic eam Paris rapuerit."

Mire Scholiasta ad *Aristid.* (p. 56. ed. Frommel., fr. 45. 4. Klein.) narrat, *ἐν πίνακι τὸ εἴδωλον* Helenae *γεγραμμένον* a Proteo accepisse Paridem, secundum Stesichorum. Miram quoque narratiunculam habet Eustathius ad *Odyss.* IV. 228.: *φασὶ δὲ αὐτὸν* (*Θῶνιν*) *βασιλέα εἶναι τοῦ κατὰ Κάνωβον Νειλῴου στόματος, εὑρετὴν ἰατρικῆς παρ' Αἰγυπτίοις. καὶ πρὶν μὲν ἰδεῖν*

(1) V. supra p. 13.

τὴν Ἑλένην, φιλοτίμως διακεῖσθαι πρὸς Μενέλαον· ἰδόντα δὲ καὶ περιεργασάμενον κατεπιχειρῆσαι αὐτῆς πρὸς βίαν· καὶ τὸν Μενέλαον γνόντα ἀνελεῖν αὐτόν. Αἰλιανὸς δὲ ἱστορεῖ, παραθήκην γενέσθαι Θώνιδι τὴν Ἑλένην πρὸς Μενελάου, ἀπιόντος εἰς Αἰθίοπας· καὶ ὡς ἠράσθη αὐτῆς ὁ Θῶνις· καὶ ὡς ἐζήλωσεν ἡ Πολυδάμνα· καὶ ὡς ἐξέθετο τὴν Ἑλένην εἰς Φάρον οἴκτῳ καὶ ζήλῳ κ. τ. λ. — ὁ δὲ γεωγράφος λέγει, ὅτι — Θῶνις — πόλις ἐπώνυμος βασιλέως δεξαμένου Μενέλαον καὶ Ἑλένην. Ἡρόδοτος δὲ ἱστορεῖ κ. τ. λ. — Deinde ad vs. 355.: *Περὶ δὲ Φάρου ἱστορία φέρεται — ὡς Ἑλένη πόθῳ Μενελάου λάθρα ἐξελθοῦσα τῆς πόλεως, ὅτε κάτεσχεν αὐτὴν ὁ Πρωτεὺς — καὶ Καρικὸν εὑροῦσα πλοῖον, ἔπεισε τὸν ναύκληρον Φάρον, ἀποκαταστῆσαι αὐτὴν εἰς Λακεδαίμονα. χειμῶνος δὲ ἐπιγεγονότος, ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς Αἴγυπτον· ἔνθα τὸν Φάρον ὑπὸ ὄφεως θανεῖν, τὴν δὲ θάψασαν αὐτόν, οὕτω τὴν νῆσον ἀπ᾽ ἐκείνου ὀνομάσαι:* ad vs. 365. Herodoti de Proteo narrationem repetit — *καὶ ὡς ἀρέσκονται*, addit, *οἱ πλείους μὴ εἶναι τὴν Ἑλένην ἐν Τροίᾳ κ. τ. λ.* Melius idem Eustathius ad *Iliad.* III. p. 397. 40. *Διαφωνίας πολλῆς γενομένης τοῖς παλαιοῖς ἐπὶ τοῖς κατὰ τὴν Ἑλένην, Ὅμηρος μὲν καὶ οἱ συμφωνοῦντες αὐτῷ ἱστοροῦσι περὶ αὐτῆς ὅσα οἴδαμεν· ἕτεροι δὲ οὐ τὴν Ἑλένην αὐτήν, εἴδωλον δὲ αὐτῆς εἰς Τροίαν ἀχθῆναι φάμενοι, ὡς ἐν σκιαμαχίᾳ* (1) *τὰ Τρωϊκὰ φαντάζονται. τούτων εἷς ὢν καὶ Ἡρόδοτος* (2) *ἀρέσκεται μὴ εἶναι τὴν Ἑλένην ἐν Τροίᾳ — ἀρέσκεται δὲ καὶ Εὐριπίδῃ οὕτως ἱστορεῖν, ὡς τὸ κατ᾽ αὐτὸν δρᾶμα*

---

(1) Cf. supra p. 33.

(2) V. Valck. ad Herod. II. 119: »*εἴδωλον* praeteriit Herodotus. Quare veritas non prorsus constat observationi Eustathianae."

ἡ Ἑλένη δηλοῖ. — Finem huic seriei locorum, qui ad mythum *Helenae* Euripideae pertinent, simulque nostrae de eo scriptiunculae imponant versus Tzetzis in *Antehom.* 147. sqq.

ἄλλοι δ' ἄλλ' ἐρέουσιν, ὅσα φίλον ἔπλετο θυμῷ,
οὐδ' Ἑλένην φάσκουσι μετὰ Τρώεσσι παρεῖναι,
ἀλλ' ἄρα Πρωτῆος ποτὶ δῶμα στρωφάασθαι,
αὔτως δὲ στρατὸν Ἀργείων Τρώεσσι μάχεσθαι·
ὡς ἄρα πολλοὶ πλάζονθ' ἱστορίην στροβέοντες.

EPIMETRUM.

His iam typis fere descriptis, Vir Humanissimus Bakhuizen van den Brink ad me misit *Epistolam* suam *Criticam* ad Geelium, Virum Clarissimum, *de Stesichori Palinodia*, *Symbolis* eam *Literariis* propediem inserendam: gratissimum profecto mihi munus: summa enim tenebar exspectatione, quaenam Viri Eruditissimi de hoc carmine esset sententia. Perlecta igitur relectaque Epistola, cum summam admiratus sum Latini sermonis elegantiam, tum Viri ingeniosi suspexi doctrinae praestantiam. Quod vero nihilo secius in suam me pertrahere sententiam nondum potuit Brinkius, vereor, ne mei hoc ingenii tarditati potius, quam eius argumentorum gravitati sit imputandum. Abuterer certe Brinkii humanitate, nec satis honeste agerem, si controversiam moverem de scripto nondum edito: itaque contineo.

CORRIGENDA.

P. 6. l. 28. lege 1834. 4, p. 11. l. 10. l. *Od.* IV. 351, p. 12. l. 6. l. *Od.* IV. 561, ibid. l. 17. l. νομὸς *M.*, p. 13. l. 6. l. *Iliad.* V, p. 28. ann. l. *Hel.* vs. 98, p. 29. l. 16. l. τὴν π., p. 80. l. 2. et l. 4. ab im. l. ἀσάφειαν.

THESES.

I.

Fama de Helena, quam prodidit Herodotus II. 112—120, latuit Homerum.

II.

Fallitur Valckenaerius, Herodotum II. 112. sqq. narrationem de Helena in Aegypto commorante ex Euripide cognovisse existimans.

III.

Euripides *Electram* docuit Olymp. 91. 4.

IV.

Glossa ad Lycophr. *Alexandr.* vs. 822. (fragm. XXXIX. Hesiod. ed. Goettling.) *Πρῶτος Ἡσίοδος περὶ τῆς Ἑλένης τὸ εἴδωλον παρήγαγε·* sic corrigatur: *Πρ. Στησίχορος π. τ. Ἑλ. λέγων τὸ εἴδ. π.*

V.

Nondum refutavit Hermannus ad Eurip. *Helen.* vs. 1. eos, qui *καλλιπάρθενοι ῥοαί puras aquas* significare dixerunt.

VI.

In Eur. *Helen.* vs. 9. quum libri habeant

Θεοκλύμενον ἄρσεν᾽ ὅτι δὴ θεοὺς σέβων

legendum videtur:

Θεοκλύμενον ὄνομ᾽ ἄρσεν᾽ ὅτι θεοὺς σέβων.

VII.

Falso Euripides in Tragoediis *μισογύναιος* fuisse dicitur.

VIII.

Quod Comicorum erat, id Euripides quoque fecit, ut ad res nuper gestas respiceret.

IX.

Iure Aristophanes (*Ran.* 1230—1277.) exagitat Euripidis Prologos.

X.

Tragici Graeci non tam novitate argumenti, quam eius tractatione placere studebant.

XI.

Nulla veritas historica inest Dionis Chrysostomi orationi XI[ae] *ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι.*

XII.

In Terent. *Adelph.* II. 1. 30:

AE. Si satis iam debacchatus, leno, es, audi si vis nunc iam.
SA. Egon debacchatus sum autem, an tu in me? —

legendum:

Egon debacchatus sum *in te*, an tu in me?

XIII.

In Virg. *Aeneid.* I. 217:

Postquam exemta fames epulis, mensaeque remotae:
Amissos longo socios sermone requirunt.

probanda coniectura:

Amissos longo socios *clamore* requirunt.

XIV.

In Virg. *Aen.* X. 102:

— Eo dicente deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus; silet arduus aether;

restituendum est:

Et tremefacta *silet* tellus; silet arduus aether.



